PASCASII GROSIPPI

RVDIMENTA GRAMMATICÆ PHILOSOPHICÆ

Et eiusdem

MERCVRIVS BILINGVIS

In vsum Tironum paucis mensibus linguam Latinam perdiscere auentium.

ACCESSIT AVCTARIVM

MARIANGELI A FANO BENEDICTI.

Cum Priuilegijs Pontificio, Cæsario, & Regio.







MEDIOLANI,

Apud Io. Baptistam Bidellium. M. DC. XXIX.

Quintil.lib.12.cap.11.

Omnia breuiora reddet ordo, & ratio & modus. Sed culpa est in praeceptoribus prima, libenter detinentibus puerum, partim cupiditate diutius exigendi mercedulas, partim ambitione, quo difficilius sit, quod pollicentur, partim etiam inscitia tradendi, vel negligentia. Proxima culpa est in nobis, qui morari in eo, quod nouimus, quam discere, quod nondum scimus, melius putamus.

Quidam nil rectum, nisi quod pl[illegible]t sibi, ducunt:
Quidam turpe putant parere minoribus, & quae
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.



Illustriss. & Excellentiss. D.

D. HYACINTHO DE GONZAGA

Serenissimi D. Ferdinandi Mantuæ ac Montisferrati Ducis Filio.





Ostquam superioribus mensibus Pascasij Grosippi Grammatica Philosophica in lucē prodijt, minimè satis habui sæpius illam domi attentèq; manibus versare, quod minime pænitendum operæ pretium me facturum arbitrarer cognoscendis ijs, quę ab eius celebritatis viro profecta essent, quem omnes, quorum vel præcipuum in literis nomen est, atq; adeo maximi quiq; Christiani orbis Reges ac Principes pendunt plurimi: sed hoc amplius curæ mihi fuit, vt quibus eorum iudicijs, qui se literatos perhiberi postulant, noua ista docendi ratio exciperetur, comperirem. Quæ me quoq; caussa impulit, vt quasi quotidie ad tabernam librariam vrbis huius, vbi fere homines eruditi ani-

mi caussa confluere solent, accederem. Ibi experiundo tandem verum esse sensi, quod tanto ante a Theognide dictum habemus,

——nec Iuppiter ipse
Siue pluat, seu non, omnibus ille placet,

quodq; præsenti negotio magis conuenit Manilianum illud:

Pro captu Lectoris habent sua fata libelli.

Illi quippe, qui quandam quasi literarum officinam instituere, quiq; sua plurimum omnem in partem interesse censent, in ea omnes esse sententia vix ad vllam eruditionis summam, nisi ipsis operam addentibus, adspirari posse, *secumq; natas & morituras literas* (quod apud Suetonium de se Palæmon ille Grammaticus iactabat) hi ergo æquis animis concoquere nequeunt, illam iam minui opinionem, quæ de ipsis hanc vsq; in diem obtinuerat. *Vrit enim splendore suo qui prægrauat artes Infra se positas*, vt ait Romanæ fidicen Lyræ, quem non de alio magis hominum genere locutum putes, cum totidem verbis scribit:

Rectè nec ne crocum floresq; perambulet Attæ
Fabula, si dubitem: clament periisse pudorem
Cuncti pæne PATRES, ea cum reprehendere coner,
Quæ grauis Aesopus, quæ doctus Roscius egit:
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt:
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere senes perdenda fateri.

Alij rursum, qui sine vllo studio aut cupiditate loquuntur, nullamq; in eo rem suam agi intelligunt, ingenuè ac sine retrectatione, adhùc in literarum caligine actam omnibus fuisse ætatem, confitentur: eorumq; qui aliquo vsq; latinè scribendo processissent,

sent,

ſent, extitiſſe prorſus neminem (ne ipſum quidem Ciceronem, Varronem aut Quinctilianum) qui eorum, quæ vel ipſe, vel alius rectè ſcripſiſſet, veram aut idoneam ſciret reddere rationem, cum nonniſi quotidiana loquendi conſuetudine omnes niterentur, haud diſſimiliter medicis Empiricis ſola fretis experientia, cum rationem expedire non poſſint, cur hoc aut illo potius remedij genere morbi perſanentur. Quin immo ijdem toto cælo aberrauiſſe pręceptores ſentiunt, qui Latina prius Grammaticæ præcepta diſcipulis ac tironibus tradiderint, quam illi Latinam linguam intelligerent, quod contra noſter hic auctor latinam linguam neceſſariò prius intelligi debere, poſt id locorum Grammaticæ præcepta vel ludibūdos percipere poſſe demonſtrat. Quæ ſententia tantum eorumdem iudicio pondus habet, vt aliter ſentire, non niſi eius eſſe cenſeant, *cui parum ſanum ſit ſinciput, quiq; helleboro indigeat.* Poſtremo hoc quoque ſatis eis exploratum eſt, vbi quis ſeptem aut octo menſium interuallo Declinationum & Coniugationum Paradigmata, & ſubinde 1141. Mercurij bilinguis ſententias memoriæ tradiderit, perfacile illum quamuis Ciceronis Epiſtolarum interpretaturum, tum duobus aut tribus alijs menſibus, nullo prorſus labore aut negotio cæteras Grammaticæ Philoſophicæ cum regulas, tum figuras percepturum. Cui eorum opinioni pleriq; alij in diuerſis Italiæ ciuitatibus (quemadmodum ex eorum mihi conſtat Epiſtolis) accedunt, ex quibus ſunt, qui affirment, nouum hunc docendi modum ijs in locis, quibus eius experimentum capi cœptum ſit, ſatis ex ſententia procedere, atq; etiam puerorum

animos ad discēdum nunc inflammari, quippe qui non minorem linguę latinæ intelligentiam se octo mensibus, quam alios fortasse vix ipso quinquennio, assecuturos intelligant. Verum nihilominus est, cum in scribenda sua Grammatica Magistris potius, quam discipulis auctor consuluerit, hinc vsu venire vt illi non minimum sudent atq; elaborent in ijs excerpendis, quæ tironibus ediscenda sunt. Atq: eam ipsam ob caussam optarent illi, vt peculiari libello ea solum cōprehenderentur, quorum tironibus vsus sit, magistro subinde ad ea quæ in Grammatica fusius docentur, reiecto. Verum enim vero cum istud laboris genus Auctoris personam non satis deceat, quem animo multiplicibus curis ad summam Rempublicam Christianam pertinentibus negotiosissimo esse nouimus, cumq; me amicorum complures ad hoc onus suscipiendum impulerint, vt pote qui superioribus mensibus in meum meiq; minoris fratris vsum huiusce Grammaticæ regulas, ad syntaxin pertinentes in aliam formam redegissem, animum tādem induxi ne mihi tam bellam & optatam occasionem effluere paterer, bene adeo de omnibus Latinæ linguæ caussas & fundamenta discere auentibus merendi. De hoc meo consilio cum deinceps ad Auctorē ipsum retulissem, ille non tantum meam valde probauit sententiam, verum etiam quæ priorem suam de Ellipsibus doctrinā diffingēs commētatus fuerat mecum communicauit, nonnullasq; de Nominum Reciprocorum vsu admonitiones, deq; insigni errore illo quo Grammatici, qua veteres, qua recentiores tenentur, dum nouos illos comminiscuntur verborum modos, quos *Potentialem & Permissiuum* eis appella-

pella-


pellare libet. De eiusdem sententia ex *Emmanuelis Aluari* Grammatica in hunc libellum trāstuli, quæ ille præcepta de Præteritis & Supinis verborum, deq; Prosodia seu syllabarum quantitate versibus feliciter est complexus, etsi de multis longe alia eius est sententia, velut ipse in Grammatica testatum esse voluit. Hunc libellum præclarissimo tuo nomine ornatum duabus de caussis edere decreui. Altera, quod Auctor gratæ memorisq; voluntatis officium exsoluere cupiens pro ingentibus honoribus ac beneficijs, quibus eum gloriosæ memoriæ Dux pater tuus prosecutus fuerat, ac simul fidem liberaturus, quam eidem Duci paucis ante eius excessum hebdomadis obligauerat, se ad illa tandem absoluenda accinxit, quæ multis prius annis, non linguæ Latinæ tantum, verum etiam Logicæ & Rhetoricæ alijsq; disciplinis, maiore laboris ac temporis compendio addiscendis idonea excogitauerat. Ad tuam proinde iniuriam videretur pertinere, nisi hoc præstitum fuisset, vt omnes fructum, quem ex hisce Auctoris lucubrationibus expectare possunt, tibi ac patri tuo acceptum referrent, eamq; vobis gratiam debere se agnoscerent. Altera, quæ eo me maximè impulit, ratio est præclara illa fama, quę omnes ferè Italiæ vrbes de tua ingenij felicitate atq; præstantia peragrauit, ita vt procedente ætate te tuo patri, non minus doctrina, internisq; animi dotibus, quàm externa venustissimi corporis specie simillimum euasurum augurentur. Qui, quod nemo paulo humanior ignorat, cùm docilitate ad omnes artes & scientias apprehendendas, tum ingenij in nouis excogitandis acumine, tum memoria humanum modum pęne

ſupergreſſa, tum deniq; inaudita facilitate ad animi ſenſa tàm verſa, quam prorſa oratione exponẽda fuit verum naturę miraculum ac prodigium, ita vt a doctiſſimis hominibus iure merito *ſæculi noſtri Phænix* fuerit nuncupatus. Cum porro natura ſimile ſimili gigni poſtulet, illiq; qui te familiarius pernouerunt, ex vnica illa tua indole nouum te ætati noſtræ Phœnicem exiturum ominentur, propterea ego iam nunc me comparo, vt in caterua eorum inueniar, qui te admirantur, ſuumq; tibi ſtudium & obſequium probare cupiunt: quomodo Hiſtorijs proditum eſt, *Phænicem ſolere in Ciuitatem Heliopolin aduolare multo cæterarum volucrum comitatu nouam faciem mirantium.* Tu pro humanitate tua iſto ortus & generis tui ſplendore digna, hoc a te ſpero impetrari patieris, vt ſecunda tua voluntate me talium numero accedere, hácque gloriæ tuæ pro viribus in ſeruiendi voluntatem, gratam tibi acceptamq; eſſe intelligam. Ita Deus te longum ſeruet, tibiq; ad paternam gloriam aſſurgere, eamq; mox propriorum animi & ingenij ornamentorum ſplendore exſuperare concedat. Mediolano Kal. Decem. anni M. DC. XX VIII.

Excellentiſs. Nomini tuo

Deditiſſimus

Mariangelus à Fano Benedicti.



LECTORI.



DE forma Mercurij bilinguis deque Grammaticæ nouæ vsu & ordine, quo in præcipiendo Magistri, in discendo tirones vti debeant, in admonitione ipsi Mercurio in extrema libri huius parte præfixa distinctè actum Lector inuenies.



PARA-



PARADIGMATA NOMINVM.

Prima Declinatio.

Numero Singulari.

Nominatiuo Hæc Mensa	*La tauola.*
Genitiuo Mensæ, prisce Mensas & Mensai	*Della tauola.*
Datiuo Mensæ, prisce Mensai & Mensa	*Alla tauola.*
Accusatiuo Mensam	*La tauola.*
Vocatiuo Mensa	*O tauola.*
Ablatiuo à Mensa	*Dalla tauola.*

Numero Plurali.

Nominatiuo Mensæ	*Le tauole.*
Genitiuo Mensarum	*Delle tauole.*
Datiuo Mensis	*Alle tauole.*
Accusatiuo Mensas	*Le tauole.*
Vocatiuo Mensæ	*O tauole.*
Ablatiuo à mensis	*Dalle tauole.*

Secunda Declinatio.

Numero Singulari.

Nominatiuo Hic Dominus	*Il Signore.*
Genitiuo Domini	*Del Signore.*
Datiuo Domino	*Al Signore.*
Accusatiuo Dominum	*Il Signore.*
Vocatiuo Domine	*O Signore.*
Ablatiuo à Domino	*Dal Signore.*

Numero

Numero Plurali.

Nominatiuo Domini	*I signori.*
Genitiuo Dominorum	*delli signori.*
Datiuo Dominis	*alli signori.*
Accusatiuo Dominos	*i signori.*
Vocatiuo Domini	*ò signori.*
Ablatiuo à Dominis.	*dalli signori.*

Numero Singulari.

Nominatiuo hoc Templum	*La Chiesa.*
Genitiuo Templi	*della Chiesa.*
Datiuo Templo	*alla Chiesa.*
Accusatiuo Templum	*la Chiesa.*
Vocatiuo Templum	*ò Chiesa.*
Ablatiuo à Templo.	*dalla Chiesa.*

Numero Plurali.

Nominatiuo Templa	*Le Chiese.*
Genitiuo Templorum	*delle Chiese.*
Datiuo Templis	*alle Chiese.*
Accusatiuo Templa	*le Chiese.*
Vocatiuo Templa	*ò Chiese.*
Ablatiuo à Templis.	*dalle Chiese.*

Tertia Declinatio.

Numero Singulari.

Nominatiuo hic Sermo	*Il parlare.*
Genitiuo Sermonis	*del parlare.*
Dat. Sermoni, prisce sermone	*al parlare.*
Accusatiuo Sermonem	*il parlare.*
Vocatiuo Sermo	*ò parlare.*
Abl. à sermone, priscè sermoni	*dal parlare.*

Numero Plurali.

Nominatiuo sermones	*I parlari.*
Gen. sermonũ. prisce sermoniũ	*delli parlari.*
Datiuo sermonibus	*alli parlari.*
Accusatiuo sermones	*i parlari.*
Vocatiuo sermones	*ò parlari.*
Ablatiuo à sermonibus.	*dalli parlari.*

Nu-

Numero singulari.

Nominatiuo hoc tempus	*Il tempo.*
Genitiuo temporis	*del tempo.*
Dat, tempori, prisce tempore	*al tempo.*
Accusatiuo tempus	*il tempo.*
Vocatiuo tempus	*ò tempo.*
Abl. à tempore, prisce tempori	*dal tempo.*

Numero plurali.

Nominatiuo tempora	*I tempi.*
Genitiuo temporum	*de i tempi.*
Datiuo temporibus	*à i tempi.*
Accusatiuo tempora	*i tempi.*
Vocatiuo tempora	*ò tempi.*
Ablatiuo temporibus.	*da i tempi.*

Quarta declinatio.

Numero singulari.

Nominatiuo hic sensus	*Il senso.*
Genitiuo sensus, priscè sensuis	*del senso.*
Datiuo sensu, vel sensui	*al senso.*
Accusatiuo sensum	*il senso.*
Vocatiuo sensus	*ò senso.*
Ablat. à sensu, priscè sensui.	*dal senso.*

Numero plurali.

Nominatiuo sensus	*I sensi.*
Genitiuo sensuum	*delli sensi.*
Datiuo sensibus	*alli sensi.*
Accnsatiuo sensus	*i sensi.*
Vocatiuo sensus	*ò sensi.*
Ablatiuo à sensibus.	*dalli sensi.*

Numero singulari.

Nominatiuo hoc genu	*Il ginocchio.*
Genitiuo genu; priscè genus	*del ginocchio.*
Datiuo genu	*al ginocchio.*
Accusatiuo genu	*il ginocchio.*
Vocatiuo genu	*ò ginocchio.*
Ablatiuo à genu.	*dal ginocchio.*

Numero Plurali.

Nominatiuo genua	*Le ginocchia.*
Genitiuo genuum	*delle ginocchia.*
Datiuo genibus	*alle ginocchia.*
Accusatiuo genua	*le ginocchia.*
Vocatiuo genua	*ò ginocchia.*
Ablatiuo à genibus.	*dalle ginocchia.*

Quinta Declinatio.

Numero Singulari.

Nominatiua hic Dies	*Il giorno.*
Genitiuo diei, prisce die	*del giorno.*
Datiuo diei, prisce die vel dij	*al giorno.*
Accusatiuo diem	*il giorno.*
Vocatiuo dies	*ò giorno.*
Ablatiuo à die, prisce diu.	*dal giorno.*

Numero plurali.

Nominatiuo dies	*I giorni.*
Genitiuo dierum	*delli giorni.*
Datiuo diebus	*alli giorni.*
Accusatiuo dies	*i giorni.*
Vocatiuo dies	*ò giorni.*
Ablatiuo a diebus.	*dalli giorni.*

Adiectiua prima & secunda Declinationis.

Numero Singulari.

Nominatiuo Bonus, bona, bonum	*Buono, ò buona.*
Genitiuo Boni, bonæ, boni	
Datiuo Bono, bonæ, bono	
Accusatiuo Bonum, bonam, bonum	
Vocatiuo Bone, bona, bonum	
Ablatiuo à bono, bona, bono	

Numero Plurali.

Nominatiuo Boni, bonæ, bona	*Buoni, buone.*
Genitiuo bonorum, bonarum, bonorum	
Datiuo bonis	
Accusatiuo bonos, bonas, bona	
Vocatiuo boni, bonæ, bona	

Ablatiuo à bonis.

Adiectiua tertia Declinationis.

Numero Singulari.

Nominatiuo hic,hæc,hoc Prudens *Prudente.*
Genitiuo prudentis
Datiuo prudenti, prisce prudente
Accusatiuo prudentem & prudens
Vocatiuo prudens
Ablatiuo à prudente vel prudenti

Numero Plurali.

Nominatiuo prudentes & prudentia *Prudenti.*
Genitiuo prudentum, vel prudentium
Datiuo prudentibus
Accusatiuo prudentes & prudentia
Vocatiuo prudentes & prudentia
Ablatiuo à prudentibus.

Numero Singulari.

Nominatiuo hic & hæc breuis,& hoc breue. *Breue.*
Genitiuo breuis
Datiuo breui, priscè breue
Accusatiuo breuem & breue
Vocatiuo breuis & breue
Ablatiuo a breui,priscè breue

Numero Plurali.

Nominatiuo breues & breuia *Breui.*
Genitiuo breuium
Datiuo breuibus
Accusatiuo breues & breuia
Vocatiuo breues & breuia
Ablatiuo à breuibus.

,, Quindecim nomina, quæ sequuntur, etsi declinantur sicut *Breuis,& breue*,habent tamen alteram terminationẽ masculinam in ER. *Acer, alacer, celer, celeber, campester, equester, pedester, paluster, saluber, siluester, volucer, September, October, Nouember, December.* Dicitur ergo hic acer vel acris,hæc acris,hoc acre.

,, Com-

Comparata.

Numero Singulari.

Nom.hic & hæc leuior & hoc leuius *Più leue ò leggiero.*
Genitiuo leuioris
Dati. leuiori, priſcè leuiore
Accuſat. leuiorem & leuius
Vocatiuo leuior & leuius
Abl.à leuiore vel leuiori.

Numero Plurali.

Nomin.leuiores & leuiora *più lieui, ò leggieri.*
Genitiuo leuiorum
Datiuo leuioribus
Accuſat. leuiores & leuiora
Vocat.leuiores & leuiora
Ablatiuo à leuioribus.

Nomina irregularia, ſeu Anomala.

Numero Singulari.

Nominatiuo Ego	*Io.*
Genitiuo mei	*di me.*
Dat. mihi vel mi, priſcè me	*à me.*
Accuſatiuo me	*me.*
Ablatiuo à me.	*da me.*

Numero Plurali.

Nominatiuo Nos	*Noi.*
Genit. noſtrum vel noſtri	*di noi.*
Datiuo nobis	*à noi.*
Accuſatiuo nos	*noi.*
Ablatiuo à nobis.	*da noi.*

Numero Singulari.

Nominatiuo tu	*Tu.*
Genitiuo tui	*di te.*
Datiuo tibi, priſcè te.	*à te.*
Accuſatiuo te	*te.*
Vocatiuo tu	*ò tu.*
Ablatiuo à te.	*da te.*

Numero plurali.

Nominatiuo Vos	*Voi.*
Genit, Vestrum vel vestri	*di voi.*
Datiuo vobis	*à voi.*
Accusatiuo vos.	*voi.*
Vocatiuo vos	*è voi.*
Ablatiuo à vobis.	*da voi.*

Numero singulari & plurali.

Genitiuo sui	*di se.*
Datiuo sibi, priscè se	*à se.*
Accusatiuo se	*se.*
Ablatiuo à se.	*da se.*

Numero Singulari.

Nominatiuo hæc domus	*La Casa.*
Ge. dòmi vel domus, priscè domuis	*della Casa.*
Datiuo domui vel domo	*alla Casa.*
Accusatiuo domum	*la Casa.*
Vocatiuo domus	*ò Casa.*
Ablatiuo à domo, vel domu	*dalla Casa.*

Numero plurali.

Nominatiuo domus	*Le Case.*
Gen. domorum vel domuum	
Datiuo domibus	
Accusat. domos vel domus	
Vocatiuo domus	
Ablatiuo à domibus.	

Numero Sngulari.

Nominatiuo plus	*più.*
Genitiuo pluris	*del più.*
Datiuo pluri, priscè pluro	*al più.*
Accusatiuo plus	*il più.*
Vocatiuo plus	*più.*
Ablat. à pluri, priscè pluro	*dal più.*

Numero plurali.

Nom. plures & plura, priscè pluria	*I più.*
Genitiuo plurium	*dei più.*

Da-

Datiuo pluribus *ai più.*
Accusatiuo plures & plura, vel pluria *li più.*
Vocatiuo plures & plura, prisce pluria *più.*
Ablatiuo à pluribus. *dalli più.*

,, Sequentia nomina declinantur vt Bonus, a, um, sed terminant Genitiuũ in IVS. & Datiuum in I. & tria vltima neutrum terminant in VD.

Vnus, totus, solus, & vllus, & ipse vel ipsus.
Nullus, & alter, vter cum prole; ille, iste, aliusque.

Numero Singulari.

Nominatiuo hic, hæc, hoc, prisce huc *Questo, e questa.*
Genitiuo huius
Datiuo huic, prisce hoc
Accusatiuo hunc, hanc, hoc, prisce huc
Ablatiuo ab hoc, hac, hoc

Numero Plurali.

Nom. hi, hæ (prisce hæc) hæc, priscè hac. *Questi, è queste.*
Genitiuo horum, harum, horum
Datiuo his
Accusatiuo hos, has, hæc, priscè hac
Ablatiuo ab his.

Numero Singulari.

Nominatiuo is, ea, id *Egli, & ella.*
Genitiuo eius
Datiuo ei
Accusatiuo eum (prisce em vel im) eam, id
Ablatiuo ab eo, ea, eo.

Numero plurali.

Nominatiuo ei, vel ij, ea, prisce eo *Eglino.*
Genitiuo eorum, earum, eorum
Datiuo eis, vel ijs, prisce ibus
Accusatiuo eos, eas, ea, prisce eo.
Ablatiuo ab eis, vel ijs, pcisce ibus.

Nominatiuo idem, eadem, idem *Il medesimo, lo stesso.*
Genitiuo eiusdem
Datiuo eidem &c.

Numero Plurali.

Nominatiuo Duo,duæ,duo,prisce *Dua Due, dui.*
Genitiuo duorum,duarum, duorum
Datiuo duobus,duabus,duobus
Accusatiuo duos,vel duo,duas, duo, prisce dua
Ablatiuo à duobus, duabus, duobus.
Sic Nom.ambo,ambæ,ambo &c. *Ambidue, ambidoi.*

Numero Singulari.

Nominatiuo Quis vel qui,quæ (prisce qua) quod vel quid, Prisce Quis per omnia genera *Il quale, la quale.*
Genitiuo cuius, prisce quuius vel quoius
Datiuo cui,prisce Qui vel Quoi,prisce Quo
Accusatiuo quem, quam, quod vel quid,prisce Quom vel Cum per omnia genera
Abla.à quo,qua,quo vel Qui, prisce qui per omnia genera.

Numero plurali. *(li.*

Nom. Qui(prisce Ques)quę,quę, prisce qua *Liquali,lequa-*
Genitiuo quorum, quarum, quorum
Datiuo quis vel quibus vel queis
Accusatiuo quos,prisce Ques,quas,quę;prisce quo vel qua
Ablatiuo à quis vel quibus vel queis

„ *De Compositis à Quis vel Qui.*

Sunt Aliquis,Nequis,Siquis,Nunquis,simul Ecquis;
Horum fœmineum dic A, pluraleque neutrum.
Post quis pone,Piam,Nam,Quam,Quis, iungimus his Que.
Post Qui:Dam,Vis,cumque,Libet,iunge Vnusquisque.

Idest in fœminino singulari, & neutro plurali faciunt aliqua,nequa,siqua,numqua,ecqua.

Quispiam,Quisnam,Quisquam,Quisquis,Quisque
Quidam,Quiuis,Quicumque, Quilibet
Vnusquisque,Vnaquæque,Vnumquodque
Vniuscuiusque
Vnicuique.
Vnumquemque,Vnamquamque, Vnumquodque.
Ab Vnoquoque,Vnaquaque.Vnoquoque.

Plurale non habet.



PARADIGMATA VERBORVM

Prima Coniugatio.

Actiua Voce.

Præsens primum.

Singulari numero.

AMo	*Io amo.*
Amas	*tu ami.*
Amat	*quello ama.*

Plurali numero.

Amamus	*noi amamo.*
Amatis	*voi amate.*
Amant.	*quelli amano.*

Præsens secundum

Singul.

Amem	*io ami.*
Ames	*tu ami.*
Amet.	*quello ami.*

Plural.

Amemus	*noi amiamo.*
Ametis	*voi amiate.*
Ament.	*quelli amino.*

Præteritum Imperfectum primum

Singul.

Amabam	*io amauo.*
Amabas	*tu amaui.*
Amabat.	*quello amaua.*

Plur.

Amabamus *noi amauamo.*
Amabatis *voi amauate.*
Amabant. *quelli amauano.*

Præteritum Imperfectum secundum.

Singul.

Amarem *io amassi, amarei, amaria.*
Amares
Amaret

Plural.

Amaremus *noi amassimo, amaremmo, amariamo.*
Amaretis
Amarent.

Præteritum perfectum primum.

Singul.

Amaui *io amai, & hò amato.*
Amauisti
Amauit.

Plural.

Amauimus
Amauistis
Amauerunt vel Amauere.

Præteritum perfectum secundum.

Singul.

Amauerim *io habbia amato.*
Amaueris
Amauerit.

Plural.

Amauerimus
Amaueritis
Amauerint.

Preteritum plusquam perfectum primum.

Singul.

Amaueram *io haueuo amato.*
Amaueras
Amauerat.

Plu-

Plural.

Amaueramus

Amaueratis

Amauerant

Præteritum plusquam perfectum secundum.

Singul.

Amauissem — *io hauessi amato.*

Amauisses

Amauisset

Plural.

Amauissemus

Amauissetis

Amauissent.

Futurum primum.

Singul.

Amabo — *io amerò.*

Amabis

Amabit.

Plural.

Amabimus

Amabitis

Amabunt.

Futurum secundum.

Singul.

Amauero, prisce amasso — *io hauerò amato.*

Amaueris

Amauerit.

Plural.

Amauerimus

Amaueritis

Amauerint.

Futurum tertium.

Singul.

Ama vel Amato — *ama tu.*

Amato — *ami quello.*

Plur.

Amate vel Amatote	*amate voi.*
Amanto	*amino quelli.*

Infinitum vel Imperſonale verbum

Amare	*amare.*
Amauiſſe	*hauer amato.*

Gerunda Verba

Amandi	*di amare.*
Amando	*amando.*

Supinum Verbum

Amatum	*ad amare.*

Participia

Amans	*quello che ama.*
Amaturus, Amatura, Amaturum	*quello che amerà.*

Primo Coniugatio.

Paſſiua Voce.

Præſens primum

Singul.

Amor	*Io ſono amato.*
Amaris vel Amare	*Tu ſei amato.*
Amatur.	*quello e amato.*

Plural.

Amamur
Amamini
Amantur.

Præſens ſecundum.

Singul.

Amer	*Io ſia amato.*
Ameris vel Amere	
Ametur.	

Plural.

Amemur	*Siamo amati.*
Amemini	
Amentur.	

Præteritum imperfectum primum.

Sin-

Singul.

Amabar — *Io ero amato.*
Amabaris vel Amabare
Amabamur

Plural.

Amabamur — *Noi erauamo amati.*
Amabamini
Amabantur

Præteritum imperfectum secundum

Singul.

Amarer — *Fuss'io amato.*
Amareris vel Amarere
Amaretur.

Plural.

Amaremur — *Fussimo noi amati.*
Amaremini
Amarentur.

Futurum primum

Singul.

Amabor — *Io sarè amato.*
Amaberis vel Amabere
Amabitur.

Plural.

Amabimur — *Noi saremo amati.*
Amabimini
Amabuntur.

Futurum secundum

Singul

Amare vel amator — *Sy tu amato.*
Amator.

Plural.

Amamini vel Amaminor — *Siate amati voi.*
Amantor.

Infinitum Verbum.

Amari. — *Esser amato.*

Participia.

Amatus, Amata, Amatum, — *Cosa amata.*

Amandus, Amanda, Amandũ. *Cosa da esser amata.*

Secunda Coniugatio

Actiua voce.

Præsens primum

Singul.

Doceo *Io insegno.*
Doces
Docet.

Plural.

Docemus *Noi insegniamo.*
Docetis
Docent.

Præsens secundum

Singul.

Doceam *Io insegni.*
Doceas
Doceat

Plural.

Doceamus *Noi insegniamo.*
Doceatis
Doceant.

Præteritum imperfectum primum.

Singul.

Docebam *Io insegnauo.*
Docebas
Docebat.

Plural.

Docebamus *Noi insegnauamo.*
Docebatis
Docebant.

Præteritum Imperfectum secundum.

Singul.

Docerem *Io insegnassi, insegnarei.*
Doceres
Doceret.

Plural.

Doceremus *Noi insegnassimo, insegnarẽmo, insegnariamo.*
Doceretis

Do-

Docerent.

Præteritum perfectum primum.

Singul.

Docui — *Io insegnai, & hò insegnato.*
Docuisti
Docuit.

Plural.

Docuimus
Docuistis
Docuerunt, vel Docuere.

Præteritum Perfectum secundum.

Singul.

Docuerim — *Io habbia insegnato.*
Docueris
Docuerit.

Plural.

Docuerimus
Docueritis
Docuerint.

Præteritum plusquam perfectum primum.

Singul.

Docueram — *Io haueua insegnat..*
Docueras
Docuerat.

Plural.

Docueramus
Docueratis
Docuerant.

Præteritum plusquam perfectum secundum.

Singul.

Docuissem — *Io hauessi insegnato.*
Docuisses
Docuisset.

Plural.

Docuissemus
Docuissetis
Docuissent.

Futurum primum.

Singul.

Docebo — *Io insegnerò.*
Docebis
Docebit.

Plural.

Docebimus
Docebitis
Docebunt.

Futurum secundum.

Singul.

Docuero, priscè Docesso — *Io haurò insegnato.*
Docueris
Docuerit.

Plural.

Docuerimus
Docueritis
Docuerint.

Futurum tertium.

Singul.

Doce, vel Doceto — *Insegna tu.*
Doceto — *Insegni quello.*

Plural.

Docete, vel Docetote — *Insegnate voi.*
Docento. — *Insegnino quelli.*

Infinitum verbum.

Docere — *Insegnare.*
Docuisse — *Hauer insegnato.*

Gerunda verba.

Docendi — *Di insegnare.*
Docendo — *Insegnando.*

Supinum verbum.

Doctum. — *Ad insegnare.*

Participia.

Docens — *Quello che insegna.*
Doctur⁹, Doctura, Docturũ, *Quello che insegnerà.*

Secunda

Secunda Coniugatio
Passiua voce.

Præsens primum.
Singul.
Doceor *Mi è insegnato.*
Doceris, vel Docere
Docetur.
Plural.
Docemur
Docemini
Docentur
Præsens secundum.
Singul.
Docear *Mi sia insegnato.*
Docearis, vel Doceare.
Doceatur
Plural.
Doceamur
Doceamini
Doceantur.
Præteritum imperfectum primum.
Singul.
Docebar *Mi era insegnato.*
Plural.
Docebaris, vel Docebare
Docebatur.
Docebamur
Docebamini
Docebantur.
Præteritum imperfectum secundum.
Singul.
Docerer *Mi fusse insegnato*
Docereris, vel docerere
Doceretur.
Plural.
Doceremur
Doceremini
Docerentur.

Fu-

Futurum primum.

Singul.

Docebor — *Mi sarà insegnato.*
Doceberis vel Docebere
Docebitur

Plural.

Docebimur
Docebimini
Docebuntur.

Futurum secundum.

Singul.

Docere, vel Docetor — *Siati insegnato.*
Docetor — *Sia insegnato à quello.*

Plural.

Docemini, vel Doceminor — *Siaui insegnato*
Docentor — *Sia insegnato a quelli.*

Infinitum verbum.

Doceri — *Esser insegnato.*

Participia.

Doctus, Docta, Doctum — *Persona alla quale è insegnato.*
Dcẽodus, Docẽda, Docẽdũ — *Persona da esser insegnata.*

Tertia Coniugatio
Actiua voce.

Præsens primum.

Singul.

Lego — *Io leggo.*
Legis
Legit.

Plural.

Legimus
Legitis
Legunt.

Presens secundum.

Singul.

Legam — *Io legga.*
Legas
Legat.

Plural.

Plural.

Legamus
Legatis
Legant.

Prætetitum imperfectum primum.

Singul.

Legebam — *Io leggeuo.*
Legebas
Legebat.

Pulral.

Legebamus
Legebatis
Legebaut.

Præteritum imperfectum secundum.

Singul.

Legerem — *Io leggessi, leggerei, leggeria.*
Legeres
Legeret

Plural.

Legeremus — *Noi leggessimo, leggeremmo, leggeriamo.*
Legeretis
Legerent.

Præteritum perfectum primum.

Singul.

Legi — *Io lessi, ho letto.*
Legisti
Legit

Plural.

Legimus
Legistis
Legerunt, vel Legere.

Præteritum perfectum secundum.

Singul.

Legerim — *Io habbia letto.*
Legeris
Legerit.

Plural.

Legerimus

Legeritis

Legeritis
Legerint

Preteritum plusquam perfectum primum.

Singul.

Legeram *Io haueua letto.*
Legeras
Legerat

Plural.

Legeramus
Legeratis
Legerant.

Præteritum plusquam perfectum secundum.

Singul.

Legissem *Io hauessi letto.*
Legisses
Legisset,

Plural.

Legissemus
Legissetis
Legissent.

Futurum primum.

Singul.

Legam *Io leggerò.*
Leges
Leget

Plural.

Legemus
Legetis
Legent.

Futurum secundum.

Singul.

Legero *Io hauerò letto.*
Legeris
Legerit.

Plural.

Legerimus
Legeritis
Legerint.

Futu-

Futurum tertium.

Singul.

Lege, vel Legito	*Leggi tu.*
Legito.	*Legga quello.*

Plural.

Legite, vel Legitote	*Leggete voi.*
Legunto.	*Leggano quelli.*

Infinitum verbum.

Legere	*Leggere*
Legisse.	*Hauer letto.*

Cerunda verba.

Legendi	*Di leggere.*
Legendo	*Leggendo.*

Supinum verbum.

Lectum.	*A leggere.*

Participia.

Legens	*Quello che legge.*
Lecturus, Lectura, Lecturum.	*Quello che leggerà.*

Tertia Coniugatio Passiua voce.

Præsens primum.

Singul.

Legor	*Io son letto.*
Legeris, vel Legere	
Legitur.	

Plural.

Legimur
Legimini
Leguntur.

Præsens secundum.

Singul.

Legar	*Io sia letto.*
Legaris, vel Legare	
Legatur,	

Plural.

Legamur
Legamini
Legantur.

Præ-

Præteritum imperfectum primum.

Singul.

Legebar — *Io ero letto.*
Legebaris, vel Legebare
Legebatur.

Plural.

Legebamur
Legebamini
Legebantur.

Præteritum imperfectum secundum.

Singul.

Legerer — *Io fussi letto.*
Legereris, vel Legerere,
Legeretur.

Plural.

Legeremur
Legeremini
Legerentur.

Futurum primum.

Singul.

Legar — *Sarò letto.*
Legeris, vel Legere
Legetur.

Plural.

Legemur
Legemini
Legentur.

Futurum secundum.

Singul.

Legere, vel Legitor — *Sij tu letto.*
Legitor — *Sia letto quelle.*

Plural.

Legimini, vel Legiminor — *Siate letti voi.*
Leguntor. — *Siano letti quelli.*

Infinitum verbum.

Legi — *Esser letto.*

Participia.

Lectus, Lecta, Lectum. — *Cosa letta.*

Legendus, Legenda, Legendum. *Cosa d'esser letta.*

Quarta coniugatio.
Actiua voce.

Præsens primum.

Singul.

Audio *Io odo.*
Audis
Audit.

Plural.

Audimus
Auditis
Audiunt.

Præsens secundum.

Singul.

Audiam *Io oda.*
Audias
Audiat.

Plural.

Audiamus
Audiatis
Audiant.

Præteritum imperfectum primum.

Singul.

Audiebam, prisce Audibam. Io *vdiuo.*
Audiebas
Audiebat.

Plural.

Audiebamus
Audiebatis
Audiebant.

Præteritum imperfectum secundum.

Singul.

Audirem *Io vdissi, vdirei, vdiria.*
Audires
Audiret.

Plural.

Audiremus *Noi vdissimo, vdiremmo, vdiriamo.*
Audiretis
Audirent.

Præteritum imperfectum primum.

Singul.

Audiui *Io vdij, hò vdito.*
Audiuisti
Audiuit.

Plural.

Audiuimus
Audiuistis
Audiuerunt, vel Audiuere.

Præteritum perfectum secundum.

Singul.

Audiuerim *Io habbia vdito.*
Audiueris
Audiuerit.

Plural.

Audiuerimus
Audiueritis
Audiuerint.

Præteritum plusquam perfectum primum.

Singul.

Audiueram *Io haueuo vdito.*
Audiueras
Audiuerat.

Plural.

Audiueramus
Audiueratis
Audiuerant.

Preteritum plusquam perfectum secundũ.

Singul.

Audiuissem *Io hauessi vdito.*
Audiuisses
Audiuisset.

Plural.

Audiuissemus

Audiuissetis
Audiuissent.

Futurum primum.

Singul.

Audiam, prisce Audibo	*Io vdirò.*
Audies, priscè Audibis	
Audiet, prisce Audibit.	

Plural.

Audiemus, prisce Audibimus
Audietis; priscè Audibitis
Audient, priscè Audibunt.

Futurum secundum.

Singul.

Audiuero	*Hauerò vdito.*
Audiueris	
Audiuerit	

Plural.

Audiuerimus
Audiueritis
Audiuerint.

Futurum tertium.

Singul.

Audi, vel Audito	*Odi tù.*
Audito.	*Oda quello.*

Plural.

Audite, vel Auditote.	*Vdite voi.*
Audiunto	*Odano quelli.*

Infinitum verbum.

Audire	*Vdire.*
Audiuisse	*Hauer vdito.*

Gerunda verba.

Audiendi	*Di vdire.*
Audiendo	*Vdendo.*

Supinum verbum.

Auditum	*Ad vdire.*

Participia.

Audiens	*Quello che ode.*
Auditurus, Auditura, Auditurum.	*Quello che hà da vdire.*

Quarta Coniugatio Passiua voce.

Præsens primum

Singul.

Audior *Io sono udito.*
Audiris, vel Audire
Auditur

Plural.

Audimur
Audimini
Audiuntur.

Præsens secundum.

Singul.

Audiar *Io sia udito.*
Audiaris, vel Audiare
Audiatur

Plural.

Audiamur
Audiamini
Audiantur.

Præteritum imperfectum primum.

Singul.

Audiebar, prisce Audibar *Io ero udito.*
Audiebaris, vel Audiebare
Audiebatur.

Plural.

Audiebamur
Audiebamini
Audiebantur.

Præteritum imperfectum secundum.

Singul.

Audirer *Io fossi udito.*
Audireris, vel Audirere
Audiretur

Plural.

Audiremur
Audiremini
Audirentur.

Fu-

Futurum primum.

Singul.

Audiar, prisce Audibor.	*Io sarò udito.*
Audieris, vel Audiere	
Audietur	

Plural.

Audiemur.
Audiemini
Audientur.

Futurum secundum.

Singul.

Audire vel Auditor.	*Sij tu udito.*
Auditor.	*Sij udito quello.*

Plural.

Audimini vel Audiminor	*Siate uditi voi.*
Audiuntor.	*Siano uditi quelli.*

Infinitum verbum.

Audiri	*Esser udito.*

Participia.

Auditus, Audita, Auditum	*Cosa udita.*
Audiendus, Audienda, Audiendum.	*Cosa da esser udita.*

Verba Anomala seu irregularia.

Sum.

Præsens primum.

Singul.

Sum, priscè Fuo.	*Io sono*
Es	*tu sei.*
Est	*quello è.*

Plural.

Sumus	*Noi siamo.*
Estis	*Voi sete.*
Sunt	*Quelli sono.*

Præsens secundum

Singul.

Sim, priscè Fuam	*Io mi sia.*

Sis, prisce Fuas.
Sit, prisce Fuat.

Plural.

Simus
Sitis
Sint, prisce Fuant.

Præteritum imperfectum primum.

Singul.

Eram — *Io era.*
Eras — *tu eri.*
Erat — *quello era.*

Plural.

Eramus
Eratis
Erant.

Præteritum imperfectum secundum.

Singul.

Essem vel Forem — *Io fossi, sarei, saria.*
Esses vel Fores
Esset vel Foret.

Plural.

Essemus vel Foremus — *Noi fossimo, sarẽmo, sariamo.*
Essetis vel Foretis
Essent vel Forent.

Præteritum perfectum primum.

Singul.

Fui — *Io fui, & son stato.*
Fuisti
Fuit.

Plural.

Fuimus
Fuistis
Fuerunt vel Fuere.

Præteritum perfectum secundum.

Singul.

Fuerim — *Io sia stato.*
Fueris
Fuerit

Plu-

Plural.

Fuerimus
Fueritis
Fuerint.

Præteritum plusquam perfectum primum.

Singul.

Fueram — *Io ero stato.*
Fueras
Fuerat.

Plural.

Fueramus
Fueratis
Fuerant.

Præteritum plusquam perfectum secundum.

Singul.

Fuissem — *Io fossi stato, sarei, ò saria stato.*
Fuisses
Fuisset.

Plural.

Fuissemus — *Noi fossimo, saremmo, sariamo stati.*
Fuissetis
Fuissent.

Futurum primum.

Singul.

Ero — *Io sarò.*
Eris
Erit.

Plural.

Erimus
Eritis
Erunt.

Futurum secundum.

Singul.

Fuero — *Sarò stato.*
Fueris
Fuerit.

Plural.

Fuerimus

Fueritis
Fuerint.

Futurum tertium.

Singul.

Es, vel esto — *Sij tù.*
Esto — *Sia quello.*

Plural.

Este, vel Estote — *Siate voi.*
Sunto — *Siano quelli.*

Infinitum verbum.

Esse, vel fore — *Essere.*
Fuisse — *Esser stato.*

Participia.

Ens — *Quello che è.*
Futurus, futura, futurum, — *Quello che hà da essere.*

Fio.

Præsens primum.

Singul.

Fio — *Io son fatto, ò mi fò.*
Fis
Fit.

Plural.

Fimus
Fitis
Fiunt.

Præsens secundum.

Singul.

Fiam — *Io sia fatto.*
Fias
Fiat.

Plural.

Fiamus
Fiatis
Fiant.

Præteritum imperfectum primum.

Fiebam, vt Audiebam | *Io ero fatto.*

Præteritum imperfectum secundum.

Fierem, vt legerem. | *Io fossi fatto.*

Futurum primum.

Fiam, fies, fiet, fiemus, fietis, fient. | *Sarò fatto.*

Futurum secundum.

Singul.

Fi, vel Fito | *Sij tù fatto.*
Fito. | *Sia fatto quello.*

Plural.

Fite, vel Fitote | *Siate fatti voi.*
Fiunto. | *Siano fatti quelli.*

Infinitum verbum.

Fieri. | *Esser fatto.*

Possum ex potis sum, vel Pote sum.

Præsens primum.

Singul.

Possum | *Io posso.*
Potes
Potest prisce Potestur.

Plural.

Possumus
Potestis
Possunt.

Præsens secundum.

Singul.

Possim | *Io possi.*
Possis
Possit

Plural.

Possimus
Possitis
Possint.

Præteritum imperfectum primum.

Singul.

Poteram *Io poteua.*
Poteras
Poterat

Plural.

Poteramus
Poteratis
Poterant.

Præteritum imperfectum secundum.

Singul.

Possem *Io potessi, potrei, potria.*
Posses
Posset.

Plural.

Possemus
Possetis
Possent.

Præteritum perfectum primum

Singul.

Potui *Io potei, & hò potuto*
Potuisti
Potuit.

Plural.

Potuimus
Potuistis
Potuerunt, vel Potuere.

Præteritum perfectum secundum.

Singul.

Potuerim *Io habbia potuto.*
Potueris
Potuerit.

Plural.

Potuerimus
Potueritis
Potuerint.

Præteritum plusquam perfectum primum.

Singul.

Potueram — *Io hauea potuto*
Potueras
Potuerat.

Plural.

Potueramus
Potueratis
Potuerant.

Præteritum plusquam perfectum secundum.

Potuissem, sicut Docuissem. — *Io hauessi potuto.*

Futurum primum.

Singul.

Potero — *Io potrò*
Poteris
Poterit

Plural.

Poterimus
Poteritis
Poterunt.

Futurum secundum.

Potuero, sicut Docuero — *Io hauerò potuto*

Infinitum verbum.

Posse, prisce Potesse — *Potere*
Potuisse. — *Hauer potuto.*

Fero Actiuum.

Præsens primum.

Singul.

Fero — *Io porto*
Fers
Fert

Plural.

Ferimus
Fertis
Ferunt.

Præ-

Præsens secundum.

Singul.

Feram *Io porti.*
Feras
Ferat

Plural.

Feramus
Feratis
Ferant.

Imperfectum primum.

Ferebam, sicut legebam *Io portauo.*

Imperfectum secundum.

Singul.

Ferrem *Io portassi.*
Ferres
Ferret.

Plural.

Ferremus
Ferretis
Ferrent.

Perfectum primum.

Tuli, prisce Tetuli, tulisti, tulit, sicut Legi. *Io portai, & hò (portato.*

Perfectum secundum.

Tulerim, tuleris, tulerit, sicut Legerim. *Io habbia portato.*

Plusquam perfectum primum.

Tuleram, sicut Legeram. *Io haueuo portato.*

Plusquam perfectum secundum.

Tulissem, sicut Legissem *Io hauessi portato.*

Futurum primum.

Singul.

Feram *Io portarò.*
Feres
Feret

Plural.

Feremus
Feretis
Ferent.

Fu-

Futurum secundum.

Tulero, sicut Legero. — *Io hauerò portato.*

Futurum tertium.

Singul.

Fer, vel Ferto — *Porta tù.*

Ferto. — *Porti quello.*

Plural.

Ferte, vel Fertote — *Portate voi.*

Ferunto — *Portino quelli.*

Infinitum verbum.

Ferre — *Portare.*

Tulisse, prisce Tetulisse — *Hauer portato.*

Gerunda verba.

Ferendi — *Di portare.*

Ferendo — *Portando.*

Supinum verbum.

Latum — *A portare.*

Participia.

Ferens — *Quello che porta.*

Laturus, latura, laturum. — *Quello che porterà.*

Feror Passiuum.

Præsens primum.

Singul.

Feror — *Io son portato.*

Fereris, vel ferere

Fertur.

Plural.

Ferimur

Ferimini

Feruntur.

Præsens secundum.

Ferar, feraris, feratur, sicut Legar, — *Io sia portato.*

Imperfectum primum.

Ferebar, sicut legebar — *Io era portato.*

Im-

Imperfectum secundum.

Ferrer, ferreris, ferretur, sicut Legerer. *Io fossi portato.*

Futurum primum.

Ferar, fereris, feretur, sicut Legar *Io sarò portato.*

Futurum secundum.

Singul.

Ferre, vel Fertor *Sij tù portato.*

Fertor *Sia portato quello.*

Plural.

Ferimini, vel Feriminor *Siate portati voi.*

Feruntor. *Siano portati quelli.*

Infinitum verbum.

Ferri *Esser portato.*

Participia.

Latus, lata, latum. *Cosa portata.*

Ferendus, ferenda, ferendum. *Cosa d'esser portato.*

Eo Actiuum: quomodo coniugatur & Vaneo, pro Vanum eo, & Queo.

Præsens primum.

Singul.

Eo *Io vò, o vado.*

Is

It

Plural.

Imus

Itis

Eunt.

Præsens secundum

Singul.

Eam *Io vadi.*

Eas

Eat

Plural.

Eamus

Eatis

Eatis
Eant.

Imperfectum primum.
Singul.

Ibam — *Io andaua.*
Ibas
Ibat

Plural.

Ibamus
Ibatis
Ibant.

Imperfectum secundum.

Irem, ſicut Audirem — *Io andaſſi.*

Perfectum primum.

Iui, iuiſti, iuit, ſicut Audiui — *Io andai.*

Perfectum ſecundum.

Iuerim, ſicut Audiuerim — *Io ſia andato.*

Pluſquam perfectum primum.

Iueram, ſicut Audiueram — *Io ero andato.*

Pluſquam perfectum ſecundum.

Iuiſſem, ſicut Audiuiſſem. — *Io foſſi andato.*

Futurum primum.

Ibo, ibis, ibit. Ibimus, ibitis, ibunt. *Io andarò.*

Futurum ſecundum.

Iuero, ſicut Audiuero. — *Io ſarò andato.*

Futurum tertium.
Singul.

I, vel ito — *Va tù.*
Ito — *Vada quello.*

Plural.

Ite, vel Itote — *Andate voi.*
Eunto. — *Vadino quelli.*

Infinitum verbum.

Ire — *Andare.*
Iuiſſe — *Eſſer andato.*

Gerunda verba.

Eundi — *Di andare*
Eundo — *Andando.*

Su-

Supinum verbum.

Itum — *Ad andare.*

Participia.

Iens, euntis — *Quello che và.*
Iturus itura, iturum. — *Quello che hà d'andare.*

Eor, Passiuum, cuius in compositis fere vsus est.

Præsens primum.

Singul.

Eor — *Io son caminato, vengo ad esser caminato.*
Iris
Itur

Plural.

Imur
Imini
Euntur.

Præsens secundum.

Singul.

Ear — *Io fui caminato.*
Earis
Eatur.

Plural.

Eamur
Eamini
Eantur.

Imperfectum primum.

Singul.

Ibar — *Io era caminato.*
Ibaris, vel Ibare
Ibatur

Plural.

Ibamur
Ibamini
Ibantur.

Imperfectum secundum.

Irer, Ireris, Iretur, sicut Audirer.

Futurum primum.

Ibor, Iberis, Ibitur. Ibimur, Ibimini, Ibuntur.

Futurum secundum.

Singul.

Ire, vel Itor
Itor.

Plural.

Imini, vel Iminor
Euntor.

Infinitum verbum.

Iri.

Participia.

Itus, Ita, Itum.
Eundus, Eunda, Eundum.

Volo.

Præsens primum.

Singul.

Volo — *Voglio.*
Vis
Vult, prisce Volt.

Plural.

Volumus
Vultis, prisce Voltis
Volunt.

Præsens secundum.

Singul.

Velim — *Io voglia.*
Velis
Velit.

Plural.

Velimus
Velitis
Velint.

Imperfectum primum.

Volebam, sicut Legebam *Io voleua.*

Imperfectum secundum.

Vellē, velles, vellet. Vellemus, velletis, vellent. *Io volessi.* *(vorrei.*

Perfectum primum.

Volui, sicut Docui *Io hò voluto.*

Perfectum secundum.

Voluerim, sicut Docuerim. *Io habbia voluto.*

Plusquam perfectum primum.

Volueram, sicut Docueram *Io haueua voluto.*

Plusquam perfectum secundum.

Voluissem, sicut Docuissem *Io hauessi voluto.*

Futurum primum.

Volam, voles, volet. Volemus, voletis, volent. *Vorrò.*

Futurum secundum.

Voluero, sicut Docuero *Hauerò voluto.*

Futuro tertio caret.

Infinitum verbum.

Velle *Voler.*

Voluisse *Hauer voluto.*

Gerundo, & supino caret.

Participium.

Volens *Quello che vole.*

Nolo, & Malo.

Præsens primum.

Singul.

Nolo, idest, Non volo. Malo, idest, magis volo. *Non voglio,* *(& voglio più tosto.*

Neuis. Mauis

Neuult. Mauult.

Plural.

Nolumus. Malumus

Neuoltis. Mauultis

Nolunt. Malunt.

Præ-

Præsens secundum.
Nolim sicut Velim. Ita Malim.
Imperfectum primum, Nolebam. Malebam.
Perfectum secundum, Nollem. Mallem.
Perfectum primum, Nolui. Malui.
Perfectum secundum. Noluerim. Maluerim.
Plusquam perfectum primum. Nolueram, Malueram.
Plusquam perfectum secundum. Noluissem, Maluissẽ.
Futurum primum. Nolim, Malim.
Futurum secundum. Noluero, Maluero.
Fut. tertiũ. Noli, nolito, Nolite, vel Nolitote, Nolũte.
Infinitum, Nolle, Noluisse. Malle, Malluisse.
Participium. Nolens.

Verba defectiua, quæ temporibus aut personis aliquibus deficiuntur.

Edo, Comedo.

Præsens primum.
Singul.

Edo	*Io mangio.*
Edis, vel Es	
Edit, vel Est	

Plural.

Edimus
Editis, vel Estis
Edunt.

Præsens secundum.
Singul.

Edam, vel Edim	*Io mangi*
Edas, vel Edis	
Edat, vel Edit	

Plural.

Edamus, vel Edimus
Edatis, vel Editis
Edant, vel Edint.

Imperfectum primum.

Edebam, vt Legebam *Io mangiaua.*

Imperfectum secundum.

Singul.

Ederem, vel Essem *Io mangiassi.*
Ederes, vel Esses
Ederet, vel Esset.

Plural.

Ederemus, vel Essemus
Ederetis, uel Essetis
Ederent, uel Essent.

Perfectum primum Edi, sicut Legi. *Io mangi...*
Perfectũ secundũ. Ederim, sicut Legerim. *Io habbia mãgiato*
Plusquã pfectũ primũ Ederã, sicut Legerã. *Haueuo mãgiato.*
Plusquã perfectũ secundum. Edissẽ, sicut Legissem. *Hauessi*
Futurum primum. Edã, sicut Legam. *Mangierò. (mangiato.*
Futurum secundum. Edero, sicut Legero. *Hauerò mangiato.*

Futurum tertium.

Singul.

Ede, vel Es, vel Edito, vel esto. *Mangi tù.*
Edito, vel esto *Mangi quello.*

Plural.

Edite, vel Este. vel Editote *Mangiate voi.*
Edunto. *Mangino quello.*

Infinitum verbum.

Edere, vel Esse *Mangiare.*
Edisse. *Hauer mangiato.*

Gerunda verba.

Edendi *Di mangiare.*
Edendo. *Mangiando.*

Supinum verbum.

Esum. *A mangiare.*

Participia.

Edens *Quello che mangia.*
Esurus, Esura, Esurum. *Quello che hà da mangiare.*

Edo

Edor Passiuum.

Præsenti primo tertia persona Estur. *si mangia.*
Imperfecto secundo: Esser: esseris essetur, *sarei mangiato.*
Infinitum verbum, EDI, *vel* ESSI. *Esser mangiato.*
Participia. ESVS, ESA, ESVM. *EDENDVS, A, VM.*
In reliquis sicut Legor.

Inquam.

Præsens primum.
Singul.
Inquio, vel Inquam *Dico.*
Inquis
Inquit
Plural.
Inquiunt.
Præsenti secundo tertia persona Inquiat.
Imperfectum primum.
Inquiebam, inquiebas, inquiebat. *Diceuo.*
Inquiebamus, inquiebatis, inquiebant.
Perfectum primum.
Inquisti, Inquijt. Hai detto. *Disse.*
Futurum primum. Inquies, Inquiet. *Dirai, dirà.*
Futurum tertium. Inque, vel Inquito. *D.*

Aio.

Præsens primum.
Singul.
Aio *Dico.*
Ais
Ait
Plural.
Aiunt.

Præsens secundum.

Singul.

Aiam *Io dichi.*
Aias
Aiat.

Plural.

Aiamus
Aiant.

Imperfectum primum Aiebam, *sicut Legebam.*
Futurum tertium Ai.

Memini, quomodo coniugantur Noui, Odi, & Cœpi.

Præteritum perfectum primum.

Singul.

Memini *Mi ricordo.*
Meministi
Meminit

Plural.

Meminimus
Meministis
Meminerunt.

Præteritum perfectum secundum.
Meminerim, sicut Legerim. *Mi sia ricordato.*
Plusquam perfectum primum.
Memineram, sicut Legeram. *Mi era ricordato.*
Plusquam perfectum secundum.
Meminissem, sicut legissem *Mi fossi ricordato.*
Futurum secundum.
Meminero, sicut Legero *Mi sia ricordato.*
Futurum tertium, quod deficit in Noui, Odi, & Cœpi.

Singul.

Memento *Ricordati.*
Memento

Plural.

Mementote.

Infi.

Infinitum verbum.

Meminisse. *Ricordarsi.*

Participium priscum Meminens. *Quello che si ricorda.*

Participium passiuum. Cœptus.

Ausim.

Præsens secundum.

Singul.

Ausim *Io ardischi, ò ardirei.*

Ausis

Ausit.

Plural.

Ausimus

Ausitis

Ausint.

Faxim, & Faxo.

Imperfectum secundum.

Singul.

Eaxim, pro Fecerim *Io habbia fatto.*

Faxis

Faxit

Plural.

Eaximus

Faxitis

Faxint.

Futurum secundum.

Singul.

Faxo, pro Fecero *Io sarò, ò hauerò fatto.*

Faxis

Faxit

Plural.

Faximus

Faxitis

Faxint.

Quæso.

Præsens primum.
Singul.
Quæso *Io prego*
Quæsis
Quæsit.
Plural.
Quæsumus
Quæsitis
Quæsunt.
Futurum tertium Quæse
Infinitum verbum Quæsere.

Cedo.


Futuru tertium.
Singul.
Cedo, pro da, vel dic.
Plural.
Cette, pro date, vel dicite.

Infit.

Præsens primum tertia persona singulari *Infit*, pro *inquit*.

Dic. Duc. Fac.

Futurum tertium pro Dice, Duce, Face, quod vltimum Plautus habet sæpius.



INSTITVTIONES

Grammaticæ Latinæ.

Quid est Grammatica?

EST ars rectè loquendi.

Quis est finis Grammaticæ, cuius causa discitur?

Oratio congruens, id est, cuius nulla pars sit, quæ præceptis artis non congruat.

Circa quid versatur ars Grammatica?

Circa partes orationis.

Quotuplices seu quot generum sunt partes orationis?

Duplices. Aliæ primæ, vt *Litera*: aliæ ex primis ortæ, vt *Syllaba*, & *Voces* seu *vocabula*, quæ vulgo malè vocantur *Dictiones*.

Quid est Litera?

Est indiuidui soni comprehensio.

Quotuplex est Litera?

Duplex. Alia vocalis, alia Consona vel Consonans.

Quid est vocalis?

Est litera, quæ per se syllabam efficit.

Quot generum sunt Vocales?

Duorum. Aliæ sunt Simplices, aliæ Compositæ.

Quæ sunt vocales simplices?

A, e, i, o, u. & Græca y.

Quot generum sunt vocales Compositæ?

Duorum. Aliæ sunt *Diphthongi*, compositæ ex duabus simplicibus vocalibus: aliæ *Triphthongi*, compositæ ex tribus.

Quot sunt Diphthongi?

Viginti duæ. *Ae, ai, ao, au: Ea, ei, eo, eu: Ia, ie, ij, io, iu;*

Oa

Oa,oe,oi,ou:Va,ve,vi,vo,vu. Ex his quatuor magis cognitæ ſunt *Ae,oe,au,eu.*

Quot ſunt Triphthongi?

Octo. *Vae,Vai,Vau,Vea,Vei,Vie,Voa,* & *Voi.*

Quid eſt Conſonans?

Eſt litera, quæ ſine vocali syllabam non efficit.

Quotuplex eſt Conſonans?

Duplex. Alia Simplex, alia compoſita.

Quot ſunt conſonantes ſimplices?

Quatuordecim B,c,d,f,g,h,l,m,n,p,q,r,ſ,t.

Quot generum ſunt conſonantes ſimplices?

Duorum. Aliæ ſunt *Semiuocales,* eædemque *Liquidæ,* vt L,m,n,r,s: aliæ *Mutæ,* vt B,c,d,f,g,h,p,q,t.

Quot ſunt conſonantes compoſitæ?

Quinq; quarum tres apud Latinos propriam figuram, qua ſcribantur, non habent, vt CH, PH, & TH. duæ verò ſuis characteribus depinguntur, vt X & Z. Sed etiam iſtis priſci carebant, & poſteriores carere poterant, cum X, ſit CS, vel GS: Z, ſit DS.

Quid eſt Syllaba?

Eſt integri ſoni comprehenſio, vt: *Mons, nox, flos.*

Quotuplex eſt Syllaba?

Triplex. Alia *Breuis,* quæ vnum tempus conſumit: alia *Longa,* quæ duo tempora conſumit, ac ſi eadem vocalis bis pronunciaretur, vt in *Felix,* quod pronunciatur & antiquitus ſcribebatur *Feelix:* Alia *Anceps,* cuius pronũciatio indifferenter vno, aut duobus temporibus abſoluitur, vt media in *Steterunt, Tenebræ.*

Quid eſt Vocabulum?

Quo vnumquodq; vocatur. Aliter dicitur *Vox.*

Quæ ſunt quæ voci accidunt?

Accentus, Figura & Species.

Quid eſt Accentus?

Eſt modulatio vocis eam in pronunciando vel attollens, vel deprimens.

Quæ ſunt Regulæ Accentus?

Vox ipſa accentum in ſeſe monosyllaba ponit.

Exacuit

Exacuit sedem dissyllabon omne priorem.
Ex tribus extollit primam pænultima curta.
Extollit se ipsam quando est pænultima longa.

Quid significat Figura?

Sit ne vox simplex, an Composita, vt: *Iustus* est vox simplex: *Iniustus* est vox Composita ex *In* & *Iustus*.

Quid significat Species?

Sit ne vox prima, an aliunde flexa, siue, sit ne primitiua, an deriuatiua, vt: *Pater* est vox primitiua, *Paternus* & *Patrius* sunt voces deriuatiuæ. *Sanctus* est vox primitiua, *Sanctior*, *Sāctissimus*, *Sāctitas*, *Sanctimonia* & *Sancte* sunt voces deriuatiuæ.

Quot sunt genera vocum?

Duo. Alię enim voces sunt participes numeri, aliæ expertes numeri.

Quid est Numerus?

Est differentia vocis secundum vnitatem aut multitudinem.

Quotuplex est Numerus?

Duplex, *Singularis*, qui vnum significat, vt: *Homo viuit*. Pluralis, qui plura significat, vt. *Homines viuunt*.

Quot sunt Voces numeri participes?

Tres. Nomen, Verbum, & Participium.

Quot sunt Voces numeri expertes?

Quatuor. *Præpositio*, *Aduerbium*, *Coniunctio*, & *Interiectio*: quæ quatuor communi nomine vocantur *Particulæ*.

Quot sunt Instrumenta artis Grammaticæ?

Quatuor. *Orthoepia*, siue regulæ de recta literarum pronunciatione. *Prosodia*, siue regulæ de syllabarum quantitate. *Etymologia*, siuè regulæ de vocum singularum accidentibus, & partibus, vt de Nominum generibus & declinationibus, de verborum coniugationibus &c. *Syntaxis*, siue regulæ de vocum debita inter ipsas compositione.



ETYMOLOGIA

De Nomine.

Quid est Nomen?

Est vox particeps numeri casualis cum genere, id est, quæ numerum, casum & genus, aut saltem terminationem generi quadrantem habet.

Quid est Casus?

Est specialis differentia numeri nominalis.

Quot sunt Casus?

Sex, Nominatiuus, Genitiuus, Datiuus, Accusatiuus Vocatiuus, & Ablatiuus.

Quid est Genus?

Est differentia nominis secundum sexus notam

Quot sunt Genera?

Tria, *Masculinum*, cuius nota est Hic, vt: *Hic dominus* *Fæmininum*, cuius nota est Hæc, vt: *Hæc mensa*. Neutrum, cuius nota est, Hoc, vt: *Hoc templum*.

Quot sunt Declinationes Nominum?

Quinque. nam est vel prima, cuius genitiuus singularis desinit in Ae, vt *mensa, mensæ*: vel secunda, cuius genitiuus singularis exit in I, vt *Dominus, domini*: vel Tertia, quæ facit genitiuum singularem in Is, vt *Sermo, sermonis*: vel Quarta, cuius genitiuus singularis terminatur in Vs, vt *Sensus, sensus*: vel Quinta, cuius genitiuus singularis exit in Ei, vt *Dies diei*.

Quot sunt diuisiones Nominis?

Duæ. alia propria Nominis, per quam Nomen est vel Proprium, vel Commune: alia communis Nomini & alijs vocibus, per quam Nomen est vel Primitiuum, vel deriuatiuum.

Quid est Nomen Proprium?

Quod vnam solam rem aut personam significat, vt *Cicero, Roma, Tiberis, Ego, Tu, Sui.*

Quid est nomen Commune siue Appellatiuum?

Quod multas res personasue significat, vt *Honor Vrbs, Flumen*

Flumen, Ille, Hic.

Quotuplex est nomen Commune?

Duplex, Substantiuum, & Adiectiuum.

Quid est nomen substantiuum?

Quod adiectiuo substare seu subijci aut supponi potest, vt ab alijs discernatur. vt, *Pater, Mater, Homo, Equus, Leo, Liber, Gladius.*

Quid est nomen Adiectiuum?

Quod substantiuo adijci potest, vt illud determinet siue ab aliis discernat, vt *Meus, Tuus, Durus, Misericors, Doctus, Indoctus, Magnus, Paruus.*

Quot modis diuiditur Adiectiuum?

Duobus. ratione terminationis & significationis.

Quotuplex est Adiectiuum ratione Terminationis?

Triplex. Aut enim tribus generibus quadrat sub vno fine seu terminatione, vt *Felix, par oriens*: aut sub duobus, vt *Fortis & Forte:* aut sub tribus, ut *Bonus, Bona, Bonū.* Italice & Hispanice fere sēper significat *Cosa,* Gallicè *Chose,* Germanice *Ding.*

Quotuplex est Adiectiuum ratione significationis?

Duplex. Absolutum, quod ad aliud non refertur, ut *Magnus, Fortis, sapiens:* & Relatum, quod ad antecedens nomen refertur.

Quotuplex est nomen Relatum seu Relatiuum?

Duplex. Aliud Generale, quod ad antecedens sic refertur, vt in se ipsū non reflectatur, vt *Qui, hic, is, ille, ipse, iste, qualis, quantus, quotus.* Aliud speciale, quod Reciprocum dicitur, & in se ipsum reflectitur, vt *Suus, sua, suum.*

Quid est nomen Primitiuum seu primæ positionis?

Quod ipsum aliunde non formatur, vt *Magnus, Bonus.*

Quid est nomen deriuatiuum?

Quod ab alia voce habet originē, vt *Magnitudo, Maior, Maximus, Bonitas, Bellus* à *Bonus,* quod prisci dicebāt *Benus.*

Quot sunt genera nominum deriuatiuorum?

Sunt quidem plura, sed hæc quinque præcipua. Possessiua, Deminuta, Comparata, Superlata, & Verbalia.

Quid est nomen Possessiuum?

Quod

Quod idem significat, quod genitiuus vnde deriuatur; vt: *Paternus, meus, tuus, suus.* nam *Paternus amor* significat idem quod *Patris amor: Meus* quod *Mei.*

Quid est nomen Deminutum seu Deminutiuum?

Quod minus significat, quam suum primigenium, cuius semper genus & significationem seruat, vt à *fune funiculus, à rege regulus, à pistrina pistrilla.*

Quid est nomen Comparatum seu Comparatiuum?

Quod fit à positiuo, id est, nomine adiectiuo addita syllaba *or*, ad primum casum in I, vt à *Doctus, docti, doctior,* & significat idem quod positiuum addita voce *Magis*. nam *Doctior* est *magis Doctus. Prudentior* est *magis prudens.*

Quid est nomen Superlatum seu Superlatiuum?

Quod fit à positiuo seu nomine adiectiuo addita *ssimus* ad primum eius casum in I, vt à *Doctus, docti, doctissimus,* à *Prudens, prudentis, prudenti prudentissimus,* & significat idē quod positiuum cum *Valde*. nam *Doctissimus* significat *valde Doctus.* Quędam tamen Superlatiua *in Llimus, rimus, timus,* aliterq; exeunt, vt ab *Exterus* fit *Extimus* & *Extremus:* à *Superus Summus* & *Supremus;* à *Posterus Postumus,* siuè *Postimus* & *Postremus.*

Hæc tria dant Llimus, similis, facilisq; humilisq;
Cum rectus sit in ER, ternus gradus in Rimus exit,
Vt veter & deter, queis Matur iungito priscum.
Sex Timus accipiunt, Dexter, citer atq; sinister,
Interus atq; vlter, extremus & extimus Exter.
Inferus infimum habet. Superus cum Posterus Emus.

Dic alia Camparatiua & Superlatiua Anomala.

Bonus, melior, optimus.
Malus, peior, pessimus.
Magnus, maior, maximus.
Paruus, minor, minimus.
Multum, plus, plurimum.
Maledicus, maledicentior, maledicentissimus.
Beneficus, beneficentior, beneficentissimus.

Be-

Beneuolus, beneuolentior, beneuolentiſſimus.
Pris, antiquum, Prior, Primus.
Senex, Senior.
Iuuenis, Iunior.
Propior, Proximus.
Pius, Pijſſimus.
Inuitus, inuitiſſimus.
Nouus, nouiſſimus.
Ocyor, ocyſſimus à Græco *ocys*, ideſt celer.

Quid eſt nomen Verbale?

Quod ab aliquo Verbo ducit originem, vt *Doctor* à doceo, *Lector* à Lego.

Quotuplex eſt nomen Verbale?

Triplex. Aliud eſt verbi expers, quod cum verbo nullum eius accidens cõmune habet, vt *Doctor, doctrina, amor, ſpectaculum.* aliud verbi particeps, aliter *Participium*, quod cum verbo aliquod eius accidens commune habet, vt *Spectatio, ſpectatus, ſpectans, ſpectaturus, ſpectandus, ſpectabundus:* aliud Participiale, quod cum participio vel originem, vel terminationẽ communem habet, vt *Amantior, doctior, Indoctus, indiligens, laureatus, ocreatus.*

„ *De his Verbalibus conſulat Magiſter admonitionem Syntaxi ſubiectam & Grammat. cap.* 145.

DE VERBO.

Quid eſt Verbum.

Eſt vox particeps numeri perſonalis cum tempore, id eſt, quæ numerum, perſonam & tempus habet.

Quid eſt Perſona vel potius Facies?

Eſt ſpecialis differentia numeri verbalis.

Quotuplex eſt Perſona?

Triplex. *Singularis prima*, vt Amo. *Singularis ſecunda*, vt Amas. *Singularis tertia*, vt Amat. *Pluralis prima*, vt Amamus. *Pluralis ſecunda*, vt amatis. *Pluralis tertia*, vt Amant.

Quid

Quid est tempus?

Est differentia verbi secundum præsens, præ teritum, & futurum.

Quot sunt Tempora Verbi?

Quinque. Præsens, Præteritum imperfectum, Præteritum Perfectum, Præteritum plusquam perfectum, & Futurum.

Quot sunt verbi coniugationes?

Quatuor. nam est vel *Prima*, cuius secunda persona primi præsentis exit in *As*, ut Amo, amas: uel *Secunda*, cuius secunda persona primi præsentis exit in *Es*, ut Doceo, doces: uel *Tertia*, cuius secunda persona primi præsentis exit in *Is*, & infinitum in *Ere* breue, ut Lego, legis, legere. Vel *Quarta*, cuius secunda persona primi præsentis exit in *Is*. & infinitum in *Ire* longum, ut Audio, audis, audire.

Quot modis diuiduntur verba?

Duobus. Ratione accidentium suorum, & ratione significati.

Quotuplex est verbum ratione Accidentium?

Duplex Personale seu Finitũ, & Impersonale siuè Infinitũ.

Quid est Verbum Personale seu Finitum?

Quod certa persona, tum etiam numero, & tempore certo finitur, seu determinatur, ut cuius personæ, numeri, & temporis sit, dici possit, ut: *Amo, Legisses, Curritur*, Pluit *Ningit, Lucescit.*

Quid est verbum Impersonale siue In*finitum?*

Quod certa persona non finitur, sed nec numerum aut tempus certum habet, ut: *Amare, Amauisse.* Vulgo uocant uerbum *Infinitiui modi*, quod sæpe Nominis substantiui uim habet, ut: *Virtus est vitium fugere*, pro fuga uitij est uirtus. *Tempus est abire*, pro abitionis. *Magis paratus seruire, quam imperare*, pro magis paratus seruituti, quam imperio. *Non tanti emo pœnitere*, pro pœnitentiam. *Ibo videre*, pro ad uidere, siue ad uisionem. *Dignus legi*, pro lectu uel lectione. *Dignus amari* pro amore.

Quotuplex est verbum ratione significati?

Triplex. *Substantiuum*, quod substantiam siue subsisten-

tiam

tiam ſignificat, vt Sum, Fio, & priſcum Fuo. *Actiuum*, quod actionem ſignificat, vt Viuo, Amo, Curro, Conſolor, Amplector: nam iſta in *Or*, depoſuerunt paſſiuam ſignificationem, ex eoque *Actiua deponentia* dicuntur. *Paſſiuum*, quod paſſionem ſignificat, vt Viuitur, Amatur, Curritur.

Nullumne eſt verbum Gerundum ſeu Gerundium?

Nullum. nam *Legendi* & *Legendo*, quæ vulgo Verba *Gerunda* dicuntur, non ſunt verba, quoniam nec tempus, nec perſonam habent, ſed ſunt Participia paſſiua cum genere, caſu & numero. Nam *Legendi* eſt genitiuus ſingularis neutri *Legendum*. Legendo, autem eſt ablatiuus ſingularis neutri *Legendum*, ac propterea Præpoſitio ei præponi poteſt hoc modo, *In legendo fies doctus*. Vbi ſubauditur verbum infinitum *Legere*, quod nominis vim habet in Ablatiuo, quaſi dictum eſſet: In legendo lectu, ſiue in legenda lectione fies doctus. *Tempus eſt legendi*, ſubauditur *Legere*, quod vim habet nominis in genitiuo, quaſi eſſet: Tempus eſt legendi lectus ſeu legendæ lectionis. *Nunc eſt legendum*, ſubauditur *Legere*, quod vim habet nominis in Nominatiuo. *Legere* autem valet idem quod *Lectio*, niſi quod illud neutrum eſt, hoc fœmininum, Idem enim ſunt *Legere iucundum eſt*, & *Lectio iucunda eſt*.

Nullumne eſt verbum Supinum?

Nullum. nam *Lectum* & *Lectu*, quæ vulgo *Verba ſupina* dicuntur, non ſunt Verba, quoniam in ijs nec perſona, nec tempus, nec numerus apparet, ſed ſunt Nomina ſubſtantiua Quartæ declinationis accuſatiui & ablatiui vel datiui caſus, adeòq; cum præpoſitione inueniuntur, vt: *Oues eunt paſtum*, vel *ad paſtum*, ſiue ad paſtionem. *Redeunt paſtu*, vel è *paſtu*, ſiuè à paſtione. *Viſu mirabile*, pro viſui. nam Datiuus facit *viſui* & *viſu*. Similiter autem dictum eſt, vt *Oculis mirabile*, *Acerbus ſenſu & acerbus ſenſibus*.

DE PARTICIPIO.

Quid est Participium?

Est vox particeps numeri casualis, tempus & constructionem à uerbo ducens, siue quod numerum, casum, tempus & uerbi constructionem habet, ut *Amans, Amaturus*, omnia tempora significat in Actiuo, sicut *Amatus & Amandus* in Passiuo. Dicimus enim Sum amans & amaturus, Sum amatus, uel amandus. Fui amans, amaturus, amatus, amandus. Ero amans, amaturus, amatus, & amandus.

Quare dicitur Participium.

Quia cum reuera sit Nomen uerbale partem aliquam uerbi capit, nempe accidens aliquod, vt tempus, & rectionem casus, & significationem uel status, uel motus.

„ *Hac de re Magister Admonitionem consulat, quam Syn-*
„ *taxi subijciemus.*

DE PRÆPOSITIONE.

Quid est Præpositio?

Est uox expers numeri, quæ casibus præponitur, & in compositione reperitur.

Quotuplex est Præpositio?

Duplex. Alia *Casualis*, quæ casibus natura sua præponitur; alia *Compositiua*, quæ cum aliis vocibus composita vnũ vocabulum efficit, siuè eæ voces sint Nomina, siue Verba, siue Particulæ.

Quotuplex est Casualis Præpositio?

Triplex. Alia accusatiuo tantum præponitur, alia ablatiuo, alia promiscuè vtrique.

Quæ præpositiones præponuntur Accusatiuo?

Ad, apud, ante, aduersus, vel aduersum, cis, citra, circa, circum, contra, erga, extra, intra, infra, iuxta, ob, pone, per, propter, post, præter, penes, supra, secundum, trans, vltra.

Quæ

Quæ præpositiones præponuntur Ablatiuo?

A,ab,abs,absq; cum,coram,de,e,ex,foras,pro, præ,palam,sine(ex prisco *se* vel *sed*)tenus.

Quæ præpositiones vtriq; casui præponuntur?

Clam,in,sub,subter,super.

Quotuplex est præpositio Compositiua?

Duplex. Alia extra compositionem habet propriam significationem, alia nisi in compositione nihil significat.

Quæ habent propriam significationem?

Abhinc. Admodum. Antehac. Circum circa. Contra ea. Dehinc, Dein. Deinde. Derepente. Desubito. Desuper. E loco. Extemplo. Exante. Exaduersum. Exhinc. Examussim. Exin. Exinde. Extràquam. Inante. Impræsentiarum. Inibi. Inloco. Insuper. Interea. Interim. Interibi. Interdiu. Interdum. Postea. Posthac. Posthinc. Postibi. Postilla. Postinde. Postmodo. Pręterea, Præterhac. Pręterquam. Pręut. Proin. Proinde. Pronuper. Propalam. Propemodum. Proporro. Propterea. Proquam. Protenus. Prout. Subinde. Superquam.

Huius generis sunt omnes Præpositiones, quæ cum Nominibus aut Verbis sunt compositæ, ut *Adesse, ad probus, auocare, euocare, deducere, inimicus, inducere, obuius, obducere, perducere, praire, subire, transire* &c.

Quæ præpositiones nihil significant extra compositionem?

Ambe vel Ambi, am, an, con, di, dis, re, se, ut in *Ambecisus, Ambio, amsanctus, anquiro, concors, diuersus, dispar, reliquus, separatus*. Et hæ præpositiones à priscis Grammaticis *Loquelares* uocantur, quia extra compositionem Loquelæ tantum, sed nullius significationis sunt.

DE ADVERBIO.

Quid est Aduerbium.

Est uox expers numeri, quæ aliis uocibus tanquam adiectiuum adiungitur, ut: *Valde bonus, Discit cito, Bene mane.*

Quotuplex est Aduerbium.

Multiplex ratione variarum ſignificationum, vt interrogandi, reſpondendi, affirmandi, negandi, prohibendi, iurandi, quantitatis, qualitatis, ſimilitudinis, comparandi, intendendi, remittendi, hortandi, congregandi, ſeparandi, excludendi, euentus, moris, principii & originis, dubitandi &c.

Quotuplicia ſunt Aduerbia interrogandi & reſpondendi?

Sextuplicia. Quærunt enim & reſpondent vel de Facto, ſit ne aliquid, nec ne: vel de *Cauſa*: vel de *Tempore*: vel de *Loco*: vel promiſcuè de *Tempore & loco*: vel ſimul de *Tempore & Numero*.

Quæ Aduerbia quærunt de Facto?

An, anne, ne enclitica, num, numnam.

Quæ Aduerbia reſpondent de Facto?

Ita, ſic, etiam, quippeni. Reſpondetur etiam per verba *Licet* & *Cenſeo*.

Quæ Aduerbia quærunt de Cauſa?

Cur, quin, quianam. Quæritur etiam per nomina *Quare* ſeu qua de re & *Quamobrem*.

Quæ aduerbia reſpondent de cauſa?

Quia & quoniam, quod factum eſt ex *Quom iam* ſeu *Cũ iam*. Reſpondetur etiam per Nomina *Eo quod, ideo, ea re, hac re, propterea quod.*

Quæ aduerbia Quærunt de Tempore?

Quando, quamdiù & Quantiſper.

Quæ aduerbia reſpondent ad Quando?

Hodie, heri, cras, pridie, poſtridie, perendie, nudius tertius, quartus, quintus, decimus, nunc, iam, nuper, tandem, aliquando, olim, pridem, dudum, tum, quum vel cum, interim, ſtatim, protinus, illico, extemplo, actutum, repente. Reſpondetur etiam per Nomina *Mane, Sero, Tẽpori, Serius, Temporius, Ocyus*.

Quæ aduerbia reſpondent ad Quandiu, & quantiſper?

Tantiſper, pauliſper, aliquantiſper, parum per, vſq; pro aſſiduo, diu, olim, dudum.

Quotuplicia ſunt aduerbia, quæ quærunt & reſpõdent de loco?

Quin-

Quintuplicia. Alia enim significant locum sine motu, alia motum ad locum, alia motum per locum, alia motum ex loco vel à loco, alia motum versus locum.

Quæ aduerbia quærunt de loco sine motu?

Vbi, & Vt, pro *Vbi* positum.

Quæ aduerbia respondent ad Vbi?

Hic, istic, illic, ibi, ibidem, inibi, intus, foris, vtrobiq;, passim, superne, inferne, infra, vtrimq;, vndiq; vndiquaque, vsquequaq;, intus, subtus, necubi, vbiubi, alibi, neutrubi, vbiuis, vsquã, nusquã (*pro quo plebs Romana dicebat* Nullibi) altrinsecus, vtrinquesecus, extrinsecus, intrinsecus. Respondetur etiam per Nomina, vt Romæ, Toleti, Carthagini, Ægypti, Cypri, Ciliciæ, domi, belli, militiæ, humi, ruri vel rure.

Quæ aduerbia quærunt de motu ad locum?

Quo. Sed hoc aduerbium non est *Natiuum* aduerbium, sed *Repertum* siue *vsurpatum*. nam ex natura sua seù prima impositione est nomen Accusatiui pluralis à *Quod*. Dicebant enim veteres *Quo*, pro *Quæ* & supprimebant præpositionem *Ad*. Itaq; *Quo* valet *Ad quæ loca vel negotia*. Quo mihi fortunam, significat, ad quid mihi fortunam, siue cui rei mihi fortunam? nam *Quo* datiuus etiam est pro *Quoi* abiecto I, vt in Paradigmatum annotationibus monui.

Quæ aduerbia respondent ad Quo?

Istuc, huc, eo, illo, intro vtroque, foras, quoquo, peregre, obuiam, vltro, citro. Respondetur etiam per Accusatiuos locorum præpositione expressa aut suppressa, vt: Eo Romam, in Romam. Venit Italiam, Ibo rus, domum, in domum, vrbem, larem.

Quæ aduerbia quærunt de motu per locum?

Qua.

Quæ aduerbia respondent ad Qua?

Hac, istac, illac, quaqua, quacumq;, quauis, quaquauersus. Respondetur etiam per Ablatiuos locorum præpositione suppressa, vt: *Tota vagatur Italia, Vehitur flumine* vel *per flumen*.

Quæ aduerbia quærunt de motu ex loco?

Vnde.

Quæ aduerbia respondent ad vnde?

Hinc, istinc, illinc, inde, indidē, eminus, cominus, aliunde, necunde, foris, vnde vnde, vndecūq; vtrinq; Respondetur etiā per Ablatiuos locorum prępositione expressa aut suppressa, vt *Lapsus cælo, de cælo. Venit Roma, à Roma, de Roma. Mercator Rhodo*, vel *de Rhodo. Vinum Chio*, vel *de Chio, Sargus Aegypto, de Aegypto*, idest Aegyptius. Sic *Ioannes ab Austria, & de Austria*, idest *Austrius*, quod nequaquam est nomen proprium, sed commune possessiuum. Sed si ablatiuus sit personæ, præpositio exprimenda est, vt: *Vnde emisti? A mercatore, de mercatore. Vnde didicisti? A te, de te, ex te.*

Quæ aduerbia quærunt de motu versus locum?

Quorsum, quod formatum est ex *Quouersum*, pro, versum ad quo seu quæ loca.

Quæ aduerbia respondent ad Quorsum?

Horsum, istorsum, sursum vel susum (prisce *Sus*, vt in *Sustineo*) deorsum, rursum, prorsum, dextrorsum, læuorsū, sinistrorsū, aliorsum, retrorsus, introrsus, quoquo versus: vænum, pessum, quæ duo postrema natura sunt nomina.

Quæ aduerbia quærunt promiscue tam de Loco, quam de Tempore?

Quousque: etsi hæ natura duæ sunt voces, deestque *Ad loca* vel *tempora*, vt integra oratio sit: *Vsque ad quo*, vel *quæ loca, aut tempora.*

Quæ aduerbia respondent ad Quousque?

Huc vsque, illuc vsque, eo vsq; hactenus, etsi in istis sunt Nomina, pro *vsque adhuc*, idest *hoc temporis vel loci, vsque ad illud temporis & loci, vsq; adeo*, idest, *ea tempora vel loca, hac fine tenus temporis aut loci*. Sic *Romam vsq;* pro, vsque ad Romam.

Quæ aduerbia quærunt de Tempore & Numero?

Quoties.

Quæ aduerbia respondent ad Quoties?

Sæpe, identidem, plerumq; quotidie, toties, numquam;

vn-

vnquam, semel, bis, iterũ, ter, quater, quinquies, septies, octies, nouies, decies, vicies, tricies, quadragies, quinquagies, sexagies, octogies, nonagies, centies, ducenties, millies. *Multoties* non dicitur, nec enim vsquam apud auctores inuenitur, nisi in Liuii epitome incerti auctoris, vbi & alia non satis latina leguntur.

Quæ sunt aduerbia Affirmandi?

Næ, certe, nimirum, nempe, scilicet, videlicet, vere, sane, profecto.

Quæ sunt aduerbia Negandi & Prohibendi?

Non, ne, neq;, nequaquam, haud, haudquaquam, neutiquam, minimè.

Quæ sunt aduerbia Iurandi?

Hercule, Hercle, mehercle, pol, ædepol, æcastor, mediusfidius.

Quæ sunt Aduerbia Qualitatis?

Bene, pulchre, eleganter, longe, late, audacter, fortiter, celeriter, vicissim.

Quæ sunt Aduerbia Quantitatis?

Valde, oppido, oppidoquam, nimis, satis, impensè, parum, affatim, abunde, perquam.

Quæ sunt Aduerbia Comparandi?

Magis, tam, quam, æquè, secus.

Quæ sunt Aduerbia Similitudinis?

Vt, vti, velut, veluti, sic, sicut, sicuti, ita, item, itidem, quasi, ceu, quomodo.

Quæ sunt Aduerbia Intendendi?

Prorsus, penitus, omnino, apprime, non modo, ne dum, immò, quin.

Quæ sunt Aduerbia Remittendi?

Sẽsim, paulatim, pedetẽtim, vix, ægre, pęne, fere, ferme.

Quæ sunt aduerbia Hortandi?

Eia, age, agite, agedum, ehodum, quin.

Quæ sunt Aduerbia Congregandi?

Simul, vna, pariter, coniunctim, generatim, vniuersim, vniuersaliter.

Quæ sunt Aduerbia Separandi?

Seorsum, seorsus, separatim, priuatim, egregiè.

Quæ sunt Aduerbia Excludendi?

Tantummodo, solummodo, modo, demum, duntaxat.

Quæ sunt Aduerbia Euentus?

Forte, fortuito, temere.

Quæ sunt Aduerbia Moris?

Meatim, tuatim, suatim, pro meo, tuo, suo more. Prisci Canatim, suatim bouatim dicebant pro Canum, suum, boum more. Humanitus pro hominum more.

Quæ sunt Aduerbia Principij & originis?

Radicitus, stirpitus, funditus, diuinitus, antiquitus, quasi sit incipiendo à radice, à stirpe, à fundo, à Deo, ab antiquo.

Quæ sunt Aduerbia Dubitandi?

Fortasse, fortassis, fors, forsan, fortassean, fosit, forsitan, forsfuat.

DE CONIVNCTIONE.

Quid est Coniunctio?

Est vox expers numeri, qua orationes coniunguntur, vt: *Vir bonus & doctissimus. Homo præstantis ingenij & insigni virtute. Non ruri, sed Romę viuit.*

Quot modis diuiduntur Coniunctiones?

Duobus. Ratione significationis seu potestatis, & ratione collocationis.

Quotuplex est coniunctio ratione significationis?

Multiplex, vt Copulatiua, Disiunctiua, Conditionalis, Aduersatiua, Concessiua, Illatiua, & Causalis.

Quæ sunt Coniunctiones Copulatiuę?

Et, que, ac, atq;, quoq, etiam, quum seu cum, tum.

Quæ sunt Coniunctiones Disiunctiuę?

Aut, vel, ve, siue, seu, an, nec ne, nec, neque.

Quę sunt Coniunctiones Conditionales?

Si, sin, ni, nisi, modo, dum, dumtaxat, si quidē, hactenus.

Quę sunt coniunctiones Concessiuę?

Quidem, equidem, sane, etsi, quamquam.

Quę

Quę sunt coniunctiones Aduersatiuæ?

At, ast, sed, atqui, tamen, tamenetsi, tametsi, autem, attamen, vero.

Quæ sunt Coniunctiones Illatiuę, quas scilicet ratio pręcedit?

Ergo, igitur, itaq; iccirco.

Quæ sunt coniunctiones Causales, quas scilicet ratio sequitur?

Nam, namq; enim, enimuero, etenim, quia, quoniam, siquidem, quippe, vtpote.

Quotuplex est coniunctio ratione collocationis?

Triplex. Alia est *Pręposititiua*, quæ in orationis principio ponitur: alia *Postpositiua* seu *Subiectiua*, quæ vni aut pluribus vocabulis iam positis subiicitur: alia *Media* seu *Communis*, quæ alias præponitur, alias subiicitur.

Quę sunt coniunctiones Pręposititiuę?

Et, ac, atque, nec, si, etsi, quamquam, at, ast, aut, vel, nisi, seu &c.

Quę sunt coniunctiones Postpositiuę?

Enim, autem, vero, que, quoque, quidem, ne, ve.

Quę sunt coniunctiones medię?

Ergo, igitur, itaq; equidem, quia, quoniam, tamen.

DE INTERIECTIONE.

Quid est interiectio?

Est vox expers numeri, varios animi motus siue affectus exprimens.

Quotuplex est Interiectio?

Duplex. Alia vni tantum affectui præcipue, alia pluribus exprimendis inseruit.

Quę Interiectiones vnum pręcipue affectum exprimunt?

Euax, eu, io, euohę exprimunt gaudium.
Ha, ha, he, exprimit gaudii effectum, qui est Risus.
Euge, eugepę, exprimit voluptatem gratulantis.
Hui, exprimit voluptatem insultantis, & irridentis.

Pa-

Papæ, exprimit voluptatem admirantis.

Heu, eheu, ah, exprimunt dolorem.

Hoi, oh, oh, exprimunt ſeu comitantur fletum doloris effectum.

Hem, ehem, hau, exprimunt ſtomacum ſiue indignationem.

Vtinam, exprimit cupiditatem optantis.

Heus, eho, exprimunt cupiditatem vocantis.

Eia, exprimit cupiditatem blandientis.

En, ecce, eccum, ellum, exprimunt cupiditatem demonſtrantis.

At, at, exprimit metum in genere.

St, au, exprimunt metum timentis ne ab alio audiatur.

Phy, phuy, apage, exprimunt metum aliquid faſtidientis vel auerſantis.

Quæ Interiectiones pluribus affectibus ſeruiunt?

O, ſeruit gaudio, dolori, exclamationi, & optationi ſeu voto.

Hei, ſeruit dolori & minis, ſeu diris aut imprecationib.

Vah, ſeruit voluptati admirantis, & irridentis, tum dolori indignantis.

Ohe, ſeruit ſtomacho ſeu tædio ob dictum aut factum alicuius, & cupiditati eius, qui ab eo dicto aut facto ceſſari expetit.



DE GENERE NOMINVM

Regulæ Generales.

De Genere Significationis.

Faemina Masque genus nullo monstrante docebunt.
Propria cuncta virum, fluuiorum & nomina montium.
Mascula censentur: nullum tamen est genus illis.
Insula, nauis, auis, gemma, vrbs, arborque poema
Faemineis dantur, sed causa significati.
Non variata putes neutra, & pro nomine posta, &
Hippomanes, cacoethes, nar, gith, spinther, & I, V.
Cape, ador & cete, tempe, Soracte melosque.
Gausape, eposque chaos, nil & frit, fasque, nefasque.

De Genere Dubio.

Hic aut hæc sit adeps, calx, cortex, clune canalis.
Atque dies, finis, forceps, tum grossus & imbrex,
Linter, margo & onyx, puluis, pumexque penusque.
Scrobs, specus, atque silex, stirps trunci, torque varixque.
Multaque, quæ è Grecis Os in Vs vertere Latini.

De Genere Terminationis.

Faemineum A prima est, veluti panthera, sagitta.
Adria sed sinus est Mas, atque cometa, planeta.
Nomen in A terna neutrum est, vt stigma, poema.
E latiale puta neutrum esse, cubile, monile.
Faemineum est aloe, rhodopeque & cetera Græca.
I. neutris tribue, O. maribus, ceu pugio, gummi.
Faemineis verbale in IO, caro, talio. DO. GO.
Hic ordo, vdo, ligo, cudo, burdo, harpago, cardo.
C. T. L. V M, neutrum: sal, mugil, Solque virile.

N. mas:

N, mas: MEN, neutrũ: gluten simul, vnguẽ & inguen.
Atq; ON, non terna. Hæc Sindon, icon, aedon.
Nomen in AR neutrum: sed in ER distingue virile.
Hoc iter, hoc tuber, laser, piper atque papauer.
OR, mas. Hæc arbor. neutrum Cor, marmor & æquor.
VR, neutrale dabis. Mas turtur, furfure, vultur.
As, dic fœmineum. Hic elephas, adamasq; tiaras.
Atq; As cum turba. Neutrum vas, fasq;, nefasque
Esto nomen in ES muliebre. at mascula Græca,
Et gurges, poples, verres, pariesque, ariesque.
Limes, pes, fomes, termes, cum palmite trames,
Meridies, cespes, stipes: pluraleque vt antes.
Est quoque nomen in IS muliebre. NIS esto virile.
Et retis, corbis, fascis quoque piscis & axis,
Et collis, vermis, tum callis, follis & ensis,
Mensis cum vecti, postis, glis, fustis & anguis,
Et torris, caulis, lapis, vnguis, iungitur orbis,
Et sanguis, cucumis, iunges cum vomere pollis:
OS. mas. Hæc dos, cos. Neutrum est OS, oris & offis.
VS. maribus iungas seu quarta, siue secunda.
Hæc humus, hæc aluus, vannus, domus & colus, idus,
Porticus atque tribus, cum ficus, acusque, manusque.
Hoc pelagus, pelagum, vulgus, vulgũ: hoc quoque virus.
VS, terna neutrum. Mas, mus, grus, pous, lepus & sus
Hoc Aes. Hæc capiunt variata per Vtis & Vdis. (PS.
S. muliebre. Hic fons, dens, põs, mons. Græca quoque in
X, dato fœmineis, pax, fax, fornaxque, suppellex.
Carex, lex & halex, nix, pix, perdixque filixque.
Cum lodice tomix, sandix, mastix quoque, vibix.
Et spadix, nox, vox, nux, crux cum luce, calyxque.
Calx Mas atque corax, dropax, storax, quoque pollex,
Index atque latex, ramex, tum grexque culexque,
Lynx, fornix & orix, rarus cum calice phœnix.

DE NOMINVM Declinatione.

IN neutris primus, quartus, quintus similes sunt.
Tres ijdem casus plurales A retinebunt.
Est quintus recto similis. S, tollito Gręcis.
Tertius & Sextus plurales assimilantur.

Prima declinatio.

Prima dat A nostris, AS, ES, E, Graca dabuntur.
E, dabit ES patrio: quarto EN, atque E, dato sexto.
Auras, aurai patrio dant sæpe poeta.

Secunda Declinatio.

Altera ER, VS, VM, virq; Saturq; EVS ponito Gracis.
Vir, puer excrescunt: velut R, si RVS dedit olim.
VS, per E, mutabit quintus; Deus excipe tantum.
Sed proprium per IVS. dabit I. dic mi quoq; fili.
Dijq; dei, atq; deis dijs. Hic sed sæpe poeta
Orpheos, Androgeo patrio, dantq; Orphea quarto.

Tertia Declinatio.

Tertia dat varios fines tamen IS, genitiuo.
A, pręstabit ATIS. Non crescunt nomina per E
ONIS ab O. caro carnis. nemo, cardo. homo, Apollo
DO, GO, fœmineum, margo, ordo, turbo dat INIS,
Vnedo fert ONIS: Anio Nerioq; dat ENIS.
Crescit IS, L, N, R, T, lac lactis, caput, itis.
MEN, CEN, pecten INIS iungas simul inguen & vnguen.
ON, aliquando ONTIS Gręcis: cor nataq; Cordis.
E, perdunt imber cum turba, acerq; alacerq;
Et celeber. Latium in STER, Ter. tollito later.

Robur.

Robur, ebur, femur atque iecur mittuntur in Oris
Postulat AS, ATIS, sed ADIS dat Græcᵒ & ANTIS
Vas, vadis & vasis, as assis, mas maris optat,
ES, dat ITIS; Cererisque Ceres, ETIS ariete, perpes.
Præpes, hebes, paries, teres, indiges, interpresque
Inquies & locuples, magnes & cætera Græca.
EDIS, pes, merces, hæres. IDIS à sedeo ortum,
Non crescit vates, verres, proprium & muliebrè.
Sed teges atque seges: abiesque quiesque dat ETIS.
IS, non crescit: IDIS, fac Græca, lapis quoque cuspis.
ITIS dic Samnis, lis, Quiris: Clis sed in IRIS.
Impubis, cucumis, puluis, vomis, cinis ERIS.
Pollis, sanguis INIS: Simois Pyroisque dat ENTIS.
OS, ORIS, ceu flos OTIS, sed compos & impos,
Et Græca, atque nepos: tum dos, cos, atque sacerdos.
Quædam OIS. vt Minos, custodis, bos bouis, ossis.
VS, dat ERIS: sed ORIS lepus, atque decus, facinusque
Et nemus, & tergus, pectus cum tempore, frigus,
Hoc pecus & littus, corpus, cum fænore pignus.
VDIS, dat subscus, palus, incus, dat salus VTIS.
Intercus, virtus, seruitque iuuenque senectus.
Grus & sus dat VIS. Tellus monosyllabaque VRIS.
POVS deducit ODIS, sed in VNTIS oppida quædam.
Aes, æris, præs prædis habent; Laus, fraus petit AVDIS.
S, sine vocali (vt frons, lens, puls) vertitur in TIS.
Lens, frons, glans, nefrens, libripens DIS; aucupis auceps.
I, mediat cum BS, PS, syllaba finit, hiemsque
E, per I, mutabunt polysyllaba, princìpe, cælebs,
X, in CIS, verte, vt fax. Lectilis edo suppellex.
(Dempto halex, veruex) E per I. polysyllaba vertunt,
In GIS, lex, grex, rex remex, Phryx, coniuge, mastyx
Frugis & impetigis, Styx, Stryx & pleraque Græca.
CHIS dat Onyx. nox noctis habet, niuis & senis ede.
Fæmineū IS. non crescens EM, siue IM, dato quarto.
IM, sitis & tussis, vis, buris, peluis habebunt.

Græ-

Græca in IS, IM siue IN mittunt parisyllaba, vt Iris.
Sextus E vult semper. Sed E aut I. postulat imber,
Atque adiectiua, vt pugil & TRIX: adde supellex.
Amne, ignis, postis, vectis, rus, anguis & vnguis.
Quartus in EM, siue IM, sexto I, semper dabit aut E.
AL, AR, E: neutrũ I, dat: sed E, far, nectar, iubar, hepar.
Plus, pluri melius; sic IM aut IN dantia quarto.
ES, recto & quarto: sed IA, cum sextus habet I.
Comparatiua tamen per A, solum, plusq; vetusque.
VM, patrius, sed apis dat IVM: imber, vter, caro, linter
Quæque in IA mittunt rectum, queis addito aplustra.
ES, IS, non crescent (panis, iuuenis, canis VM, dant)
Sed monosyllaba IVM, præter dux, nux, sue, grus, frux.
Ren, fur, flos, mos, Tros, grex, lex, vox laus, pes, prex,
Atque boum bos. Bubus, Bobus pone Datiuo.
Tertius est in IBVS; sed ATIS mage neutra Pelasga.
Tres casus Græcos retinent hic sæpe poetæ.
Si crescat nomen, ceu Pallados, Hectora, Troas.

Quarta Declinatio.


Quarta dat VS, recto dat & V prius inuariatum.
Dant VBVS, hæc quatuor, portus, tribus, arcus & artus.

Quinta Declinatione

ES, olim patrius: sed & E, II, sæpe poetæ.
ERVM, EBVSque caret pluralis: tolle dies, res.
Non Cicero voluit specierum, nec speciebus.



DE



DE SYNTAXI

SEV CONSTRVCTIONE.

Quid est Syntaxis?

Est debita partium orationis inter se compositio.

Quotuplex est Syntaxis?

Duplex. Regularis & Irregularis siue Figurata.

Quid est Syntaxis Regularis?

Est compositio inter se partium orationis, consentanea regulis artis.

Quotuplex est syntaxis Regularis?

Duplex, Concordia & Rectio.

Quid est Concordia?

Est partium orationis, siue eiusdem, siue diuersi generis inter ipsas conuenientia, vt in *Vir bonus*, conueniunt inter se partes eiusdem generis, quia vtraque Nomen est. Sed in *Virtus laudatur*, est conuenientia partium diuersi generis, cum altera Nomen sit, altera Verbum.

Quid est Rectio?

Est certi casus adsciscendi potestas. Vt in *Filius Dei*, nomen substantiuum adsciscit sibi genitiuum. In *Posuit animam*, Verbum actiuum adsciscit accusatiuum. *Pro peccatoribus*, Præpositio adsciscit ablatiuum.

Quotuplex est Concordia?

Duplex. alia Partium orationis, alia Particularum.

DE

De Concordia Partium Orationis.

Quotuplex est Concordia Partium orationis?
Duplex. alia est Concordia Nominis, alia Verbi.

Quotuplex est Concordia Nominis?

Triplex. alia est Cõcordia Nominis adiectiui cum substantiuo, alia Relatiui cum antecedente, alia Reciproci cum supposito.

Quæ est Regula Concordiæ Nominis adiectiui cum substantiuo?

Nomen adiectiuum cum substãtiuo consentit in numero, casu, & generis terminatione, siue substantiuum sit expressum, siue suppressum, siue verbo infinito commutatũ, vt: *Vir bonus. Mali corui malum ouum. De meo sumtus facio.* pro de meo ære. *Delphica laurus*, pro Delphica arbor laurus. *Triste lupus stabulis*, pro triste negotium, id est, tristis res lupus est stabulis. *Venturo Cæsare Roma trepidat. Pausanias à suis mori coactus est. Legendo Virgilio fies poeta. Nunc est bibendum*, Subaudi *Bibere. Pugnatum est*, Subaudi *Pugnare*, quod est loco substantiui. *Catoni fuit moriendum*, Subaudi *Mori. Tempus est legendi*, Subaudi *legere*, quod vim habet nominis substantiui in genitiuo. *Charta inutilis scribendo*, Subaudi *scribere*, quod est loco Nominis in Datiuo, quasi esset *Inutilis scribendæ scripturæ. Locus amplissimus ad agendum.* Subaudi *Agere.* id est, *ad agendam actionem. Legendo hoc didici.* Subaudi *Legere*, quod vim habet Ablatiui, quasi esset *In legendo lectu* siue *in legenda Lectione.*

„ *De hac Regula Magister consulat Grammaticam pag. 40. & 133.*

Quæ est Regula Concordiæ Nominis Relatiui cum Antecedente?

Nomen Relatiuum cum Antecedente nomine sub-

stantiuo, siue expresso, siue suppresso, in numero & generis terminatione semper conuenit, etsi casus discrepet: cum eodem vero nomine sequente, siue expresso, siue suppresso in numero, genere & casu concordat. vt: *Vidi hominem, qui homo flebat: Odi hominem, qui simulatè loquitur. Fuit quidam mercator. is nauem fregit, qua vehebatur. Nemini credo, qui diues blanditur pauperi.* pro nemini diuiti credo. *Sunt quos arma delectant,* pro sunt homines, quos homines arma delectant.

Quæ est Regula Concordiæ Nominis Reciproci cum supposito?

Nomen Reciprocum *Sui, sibi* & *se,* cum supposito in numero conuenit: *Suus* verò, *sua, suum,* perinde vt alia adiectiua, cum substantiuis in numero, casu & genere consentiunt, vt: *Nemo sui obliuiscitur. Omnes sibi blandiuntur. Nemo se odit. Vlciscentur eum mores sui. Iubet saluere suus vir vxorem suam. Expectat te domi suæ. Ille rerum suarum satagit. Non nouit eum mater sua.*

„ De *Reciprocis* nonnulla magister sub huius libri finem in Auctario monebitur.

Quotuplex est Concordia Verbi?

Duplex. alia est Concordia verbi finiti, alia Infiniti.

Quotuplex est Concordia verbi finiti?

Duplex. alia est Concordia verbi finiti cum Nominatiuo supposito solo, alia eiusdem cum nominatiuo supposito, & apposito.

Quæ est regula Concordiæ verbi finiti cum Nominatiuo supposito?

Verbum finitum seu personale cum nominatiuo supposito, id est præcedente, siue expresso, siue suppresso, siue infinito verbo aut alia oratione commutato consentit in numero, dum tamen Nominatiuus ille sit personæ verbi accommodatus, vt: *Tu doces, Nos discimus.* Hic suppositum verbi, seu Nominatiuus præcedens est expressus. *Legis, Audimus, Aiunt, Ferunt, Pluit, Lucescit.* In his suppositum verbi, seu Nominatiuus præcedens est suppressus & subaudiendus, nimirum Tu, nos, homines, pluuia, vel cælum,

cælum, lux. Sic in *Miseret, tædet, pudet, piget, pœnitet* subaudiuntur Nominatiui Miseria, tædium, pudor, pigritia, pœna. In *Viuitur, Curritur, Statur, Sedetur, Egetur,* subaudis viuere seu vita, currere seu cursus, stare seu status, sedere seu sessio, egere siue egestas. *Quid fit? Ligna cæsum itur,* pro, via itur ad cæsum ligna. *Libet me epigrammata facere.* Hic oratio hæc *Me epigrammata facere,* ponitur pro Nominatiuo, quasi esset: Mea factio aut factura epigrammatum libet, idest, iucunda est. *Fugere vitium est virtus.* Hic suppositum verbi *Fuga vitiorum* commutatum est verbo infinito Fugere vitia. *Deprehendi miserum est.* Hic suppositum verbi *Deprehensio* commutatum est verbo infinito *Deprehendi.* Plut. Aul. *Certum est Siluano potius credam quam Fidei,* pro vt credam Siluano, siue credere certum est. Vbi Nominatiuus *Creditus* vel *Creditio* commutatus est oratione, *Vt credam.* Sic Capt. *Est miserorum vt maleuolentes sint & inuideant bonis.* pro Maleuolentia & inuidia est res miserorum. Sic *Quæritur quis naues primus inuenerit.* Hic suppositum verbi seu Nominatiuus præcedens, nempe *Primus inuentor Nauium,* commutatus est hac oratione, *Quis naues primus inuenerit.* Sic *Dicitur mulam peperisse.* Nominatiuus præcedens, nempe *Partus mulæ,* commutatus est hac oratione, Mulam peperisse. Sic *Multos homines quotidie mori dicitur,* pro Mors quotidiana multorum dicitur. *In consilium iri videtur.* Subaudi *Viam.* vbi *Viam iri* habet vim Nominatiui, quasi esset *Viæ itio,* sicut *Viam istam iri mirum est, cum sit latronibus infesta.* Sic *Multos venturos esse creditur,* pro Multorum aduentus creditur.

„ De hac regula Magister consulat Grammaticam pag. 131. & 133.

Quæ est regula concordiæ verbi finiti cum Nominatiuo supposito & apposito?

Verbum finitum seu Personale sæpe habet appositum seu sequentem Nominatiuum, ad suppositum verbi pertinentem, siue cum eo in numero consentiat, siue non, vt: *Ego didici hoc puer. Ego vocor Marcus. Tu captus es ar-*

biter. Deus est animus: Tu fili esto sobrius. Nos sumus docti. Propert. *Nam cui non ego sum fallaci præmia vati*. Idē: *Vna sit & cuiuis fœmina multa mala*. Sic possum dicere: *Quiuis concubitus meretrici est nuptia. Quadriga fuere nota argenti*. Nominatiuus porro appositus censetur etiam Oratio Nominatiui vim habens, quem Scholastici Nominatiuum *Virtualem* dicerent, non *Formalem*, vt Plaut. *Ego videor me eam vidisse prius*. Vbi hæc oratio *me vidisse*, vim habet Nominatiui, quasi esset: Ego videor eius visor. sicut *Me vidisse eam mihi dolet*, pro Visus aut conspectus eius mihi dolet. Ita idem valent: *Seruus videtur cunctator*, & *seruus videtur eum cunctari*. nam *Eum cunctari* est Nominatiuus, vt: *Eum cunctari apparet* vel *molestum est*.

Quotuplex est Concordia verbi Infiniti?

Duplex. alia est Concordia verbi infiniti cum accusatiuo supposito, alia cum apposito.

Quæ est regula de Concordia Verbi infiniti cum accusatiuo supposito?

Omne verbum Infinitum, siue Impersonale, habet pro supposito Accusatiuum expressum aut suppressum, vt: *Scio te amare* vel *amari*. *Cupio scire, Vereor facere, Opto videre diem illum, Malo manere quàm abire*. In his suppositum siue Accusatiuus præcedens *Me* supprimitur, cum integra oratio sit *Cupio me scire*. Ita si dicam, *Seruus videtur cunctari*, subauditur *Eum*. *Arbores videntur cadere*, subauditur *Eas*, vbi *Eum cunctari* valet idem quod nominatiuus Cunctator. *Eas cadere*, quod Nominatiuus Caducæ vel Cadentes.

„ De hac regula magister consulat Grammaticam pag. 33. & 65. & 131.

Quæ est regula de Concordia Verbi Infiniti cum accusatiuo apposito?

Verbum Infinitum sæpe habet Nomen appositum cum eiusdem Verbi supposito, idest, cum Accusatiuo præcedente vel expresso, vel suppresso in casu consentiens, vt: *Cupio me videri doctum*. Hic *Doctum* appositum verbi

infi-

infiniti, *Videri*, consentit in casu cum eiusdem Verbi supposito, id est, cum Accusatiuo præcedente expresso, *Me*. *Dixit daturum esse*. Hic *Daturum* appositum verbi *Esse*, consentit in casu cũ eiusdem verbi supposito, *Se*, quod supprimitur. Sic *Licet vobis vos esse beatos*, vel *Licet vobis esse beatos*. *Tibi expedit te esse bonum*, vel, *Tibi expedit esse bonum*. *Nocet mihi esse doctum*, vel, *Nocet mihi me esse doctũ*. Sed Græcorum consuetudine dicitur: *Cupio videri doctus*. *Dixit daturus*. *Licet vobis esse beatis*. *Tibi expedit esse bono*. *Nocet mihi esse docto*.

„ De hac Regula Magister consulat Grammaticam pag. 131.

De Concordia Particularum.

Quotuplex est Concordia Particularum?

Duplex. alia est Concordia Aduerbij, alia Coniunctionis. nam Interiectionis nulla est concordia, sicut nec Rectio vlla, quoniam cum cætera oratione non cohæret, sed tantum ad significandum quemdam animi motum interponitur, qui motus facit, vt sæpe verba ad orationis integritatem necessaria supprimantur, vt: *O vir fortis*, pro, O quam es vir fortis? *O me miserum*, pro, o quam miserũ me sentio. *Væ tibi*, Subaudi, sit. *Væ te*, Subaudi, Maneat, nisi tamen *Te* pro *Tibi*, sicut *Me* pro *Mihi* positum arbitrabimur, quod veteres consueuisse Festus & Donatus testantur. *Hei* vel *Heu mihi*, Subaudi, Est. *Proh dolor*, idest, proh quãtus mihi ex eo dolor est? *Proh sãcte Iuppiter*, idest proh fidem tuam imploro Iuppiter.

Quæ sunt Regulæ de Concordia Aduerbij?

PRIMA.

Aduerbium *Non*, vetantis vel dissuadentis cum verbo primi temporis futuri, siue cum futuro indicatiuo consentit, vt: *Non negabis*, *Non dices*. Nam Soloecismus est, *Non nega*, *Non dic*.

SECVNDA.

Aduerbia interrogatiua, *antequam*, & *priusquam*, & *Vt*, similitudinis pro *Quomodo*, cum verbis primi,

& secundi temporis, ideſt, cum verbis indicatiuis, Optatiuis, & ſubiunctiuis conſentiunt. vt: *Vbi eſt? Dic vbi ſit, Vnde venis, Quo pergis, Qua ibis, Cur taces? Vnde venias cedo, quo pergas neſcio, qua iturus ſis ſcire cupio, Cur taceas intelligo. Antequam pro illo dicere inſtituo, pro me pauca dicam. Bibe priuſquam abis,* vel *abeas, Antequam moreretur,* vel *moriebatur, delirauit. Has ambas, vt dixi, ita oportet eſſe liberas: Ille vt erat lena amictus, ita venit in concionem. Ei te commendaui vt grauiſſime potui.*

TERTIA.

Aduerbium *Quin*, iubentis vel hortantis primis & tertijs, id eſt Indicatiuis & Imperatiuis temporibus conſentit, ſecundis ſiue optatiuis aut ſubiunctiuis, nunquam, niſi pro *Immo* ponatur, vt: *Quid ſtas quin accipis? Quin tu hoc audi*. Solœciſmus erit, ſi hortaturus dicat: *Quin tu me audias, Quin accipias*.

QVARTA.

Aduerbia *Vt*, pro *Quomodo* cum cauſæ ſignificatione, ſimiliter *Ne* ſignificans *Non*, cum *Vt*, ſiue expreſſo, ſiue ſuppreſſo, & *Vtinam* ac *Si*, optantis ſemper cum ſecundis temporibus ſiue optatiuis aut ſubiunctiuis conſentiunt, Vt: *Rogat me, vt ad ſe veniam*, ideſt, ita rogat, vt veniam, eo modo rogat, qui ſeu quomodo veniam, & propter hanc cauſam rogat, vt veniam. *Vereor vt placari poſſit*, ideſt, quomodo poſſit. *Vt illum Dij perdant*. Subaudi, ita precor. *Hoc tu vt ego taceam, intelligis*. pro eſto ita, fac ita, Da vel pone ita vt ego taceam. *Opera datur vt iudicia ne fiant*. pro quomodo non fiant. *Quid facias, prius cogita, ne mox facti te pæniteat*. pro vt ne, ſiue, vt non pæniteat. *Vereor ne mihi non credas*. pro vt ne, ſeu quomodo non credas. *Timeo ne non impetrẽ*, pro Timeo vt ne repulſam feram, quomodo non mihi negetur. *O ſi eſſem tecum, Vtinam ita ſit, Vtinam viueret*.

QVINTA.

Aduerbium *Ne*, vetantis vel diſſuadentis ſemper conſentit ſecundis & tertijs, ſiue ſubiunctiuis & Imperatiuis temporibus vt: *Ne nega: Tu ne cede malis. Iſtuc ne dixeris.*

ris. Nam solœcismus est, *Non dixeris*,

Quæ sunt regulæ de Concordia Coniunctionis?

PRIMA.

Coniunctiones *Etsi, etiamsi, quamquam, ni, nisi, si, siquidem, Quom* vel *Cum* tempus aut caussam significās, *Quod, Qui*, & *Quoniam* cum verbis primi & secundi temporis siue indicatiuis & subiunctiuis consentiunt: *Quamquam conspectus vester mihi est iucundissimus. Tametsi vicisse debeo, tamen de iure meo decedam. Præposteros habes tabellarios, etsi me quidem non offendunt, sed tamen &c. Quamquā apertè Volcatio assentirentur. Quare velim, etsi (vt spero) te hæc legente aliquātulum viæ processero, tamen obuiam mihi literas mittas. Etiamsi quod scribas, non habebis, scribito tamen. Omnia breuia tolerabilia esse debent, etiamsi maxima sint. Nisi restituissent statuas, vehementer his minatur. Ortum amicitiæ videtis, nisi quid adhuc forte vultis. Ni sequitur, pugnos ingere. Palàm beatus ni vnum desit. Si illum relinquo eius vitæ timeo. Tu si hic sis, aliter sentias. Herus si redierit, molendum in pistrino. Qui istuc scis, nisi periculum feceris. Siquidem atrocius est patriæ parentem, quàm suum occidere. Si quidem mihi regnum detur, numquam id potius persequar. Si quidem ante mentitus sit, nunc iam dehinc erit tibi verax. Cum lego, disco. Cum legam, fio doctior. Cum legi Epistolam tuam, miratus sum. Cum legam librum, notabo quæ visu erunt digna Cum hominem videro, tuis verbis salutabo. Multa tibi dij dent bona, cum me saluum esse vis. Laudo te, cum id das operam, vt doctus euadas. Gratulor tibi, cum tantum vales apud Principem. Cum me oderit, cur ad eum accedam? Anni plures sunt, cum hoc accidit. Illam amo, quia non adest. Nemo quia peccauerit, plectitur, sed ne vel ipse iterum, vel alij peccent. Quoniam quid faciam scire cupis, scribam omnia. Quoniam id, quod vis, fieri non potest, velis id, quod possit. Dixit, quoniam ipse venire non posset, fratrē se missurum. Iccirco turpis est culpa, quod duas res sanctissimas violat. Mihi, quod defendissem eius inimicum, leuiter succensuit. Scio quod filius meus discat literas.* pro quo elegātius dicitur: *Scio filium meum discere literas*:

„ De hac regula Magiſter conſulat annotat. in Paradig. pag. 54. & Grammatic. pag. 134.

SECVNDA.

Coniunctio Quin, pro Vt non, ſemper cum Verbis ſecundi temporis, ſiue optatiuis aut ſubiunctiuis conſentit, vt: *Dies nullus eſt quin domum meam veniat. Facere nō poſſum, quin ad te mittam. Numquid cauſa eſt, quin te in piſtrinū condam.* Factum eſt autem *Quin* ex *Qui ne*, pro Qui non, ſeu Quo non, Quomodo non, Cur non.

„ De hoc videat Magiſter Grammaticam pag. 104.

De Rectione.

Quotuplex eſt Rectio?

Triplex. alia eſt rectio Nominis, alia Verbi actiui, alia Præpoſitionis: nam Aduerbia, Coniunctiones, Interiectiones, ſed & verba ſubſtantiua & paſſiua, gerundia & ſupina nullum omnino caſum regunt.

„ Hac de re videat Magiſter Grammat. pag. 36. 38. 39. 40. 46. & 52.

Quotuplex eſt rectio Nominis?

Duplex. alia eſt rectio nominis ſubſtantiui, alia nominis adiectiui.

Quotuplex eſt Rectio nominis ſubſtantiui?

Duplex. alia nominis ſubſtantiui cuiuſcumq; , alia ſubſtantiui verbalis.

Quæ eſt regula de Rectione ſubſtantiui Cuiuſcumq; ?

Nomen ſubſtantiuum quodcumq; ſiue expreſſum, ſiue ſuppreſſum, regit Genitiuū. ſiue: Omnis Genitiuus à nomine ſubſtātiuo expreſſo aut ſuppreſſo regitur, vt: *Lectio librorū Ciceronis. Nummus auri. Accuſo te furtis* Subaudi *Crimine. Natus Romæ*, Subaudi, *In vrbe. Quanti emiſti?* Subaudi *Æris pretio*. nā integra oratio ſecūdū regulas eſt: *Pro quanti æris pretio emiſti?*

„ De hac regula Magiſter cōſulat Gram. pag. 126. 127. 128

Quæ eſt regula de Rectione ſubſtantiui verbalis?

Nomen ſubſtantiuum verbale, ſiue à verbo deriuatum, plerumq; Genitiuum, interdum Verbi ſui caſum regit

vt:

vt: *Lectio poetarum. Classi propinqua domum itio dabitur. Meus à foro domum reditus. Iustitia est obtemperatio legibus. Quid tibi me tactio est*, vel *tactus est?* pro, Quid me tangis? *Quid tibi ludos spectatio est*, uel *spectatus est*, pro Quid spectas ludos. *Eo spectatum ludos*, pro ad spectatum vel spectationem ludos seu ludorum. Nam *spectatum* nō est uerbum supinum, sed Nomen Verbale quartæ Declinationis. *Iam it infitias ea omnia, quæ prius mihi fassus fuerat*. pro It ad infitias eorum omnium. *Infitia* est negatio à uerbo *Infiteor*.

„ De hac regula Magister consulat Grammat. pag. 132.

Quotuplex est rectio Nominis adiectiui?

Duplex. alia est adiectiui ex participio actiuo facti, alia adiectiui participio passiuo similis.

Quæ est regula de Rectione nominis adiectiui ex participio actiuo facti?

Nomen adiectiuū ex participio actiuo factū regit genitiuū, vt: *Amans vxoris, Appetens alieni, Amātior* uel *Amātissimus suorum*. Cuius regulæ causa est, quoniā talia Adiectiua faciem tantum adiectiui habent, sed uim substantiui.

Quæ est regula de Rectione Nominis adiectiui participio passiuo similis?

Nomen adiectiuum non nisi terminationem cum participio passiuo communem habens regit casum uerbi sui. ut: *Populabundus agros, Vitabundus castra hostium*.

Quotuplex est rectio Verbi actiui?

Duplex: alia est Generalis conueniens omni uerbo actiuo, tam finito, quàm infinito, alia specialis, conueniens uerbo actiuo infinito nominis substantiui uim habente.

Quæ est regula de Rectione Generali Verbi Actiui Finiti & Infiniti?

Omne uerbum actiuum tam finitum, quàm infinitum, semper regit accusatiuum siue expressum, siue suppressum, siue uerbo infinito aut alia oratione commutatum, ut: *Disco Literas, Veneror Deum* (nam uerbum Deponens est Actiuum, quod priscam passiui significationem deposuit) *Viuo, dormio, gaudeo, iocor, curro*. In his Subaudi

Accu-

Accusatiuos vitã, dormitionẽ, gaudiũ, iocũ, cursum. *Terra mouit, nox cœlo precipitat, illa iã lauit, nupsit viro, emersit ex malis, voluẽtibus annis, anno vertẽte, res benè vertat, res benè habet.* In his omnibus supprimitur Accusatiuus *Se. Obiecit mihi facere lenocinium.* Subaudi *Me:* & hæc oratio, *Me facere lenocinium,* vim habet accusatiui. *Desidero videre te,* pro Desidero conspectum tuum. *Cupio viuere,* pro vitam. *Odi tuum vociferari,* pro tuum clamorem. *Volo facere,* pro *volo factum,* quod ipsum in vsu fuisse constat. In his accusatiuus commutatus est verbo infinito. *Dico tibi ne facias.* Hic uerbum actiuum regit Accusatiuum alia oratione commutatum, quomodo & in isto: *Hæc res facit me confidere, facit vt confidam,* pro facit me confidentem. *Scio filium meum amare scorta, scio vt amet, quam amet, quod amet* uel *amat,* pro scio filij amorem scortorum. Sic *iussit mihi scribere, iussit mihi vt scriberem,* pro iussit mihi scriptionem. *Vetas me queri, Vetas mihi queri, Vetas mihi ne querar,* pro Vetas mihi questum seu querelam. *Iter istud à tam multis celebrari miror,* pro Miror multorum celebrationem istius itineris. *Cupio me videri doctum.* Hic oratio ista, *Me videri doctum,* posita est pro Accusatiuo, quasi esset: *Cupio opinionem doctrinæ.*

„ De hac regula Magister consulat Grammat. pag. 35. & 131.

Quæ est regula de rectione speciali verbi actiui infiniti pro nomine substantiuo positi?

Verbum actiuum infinitum nominis loco positũ, cumq; participio in numero & casu consentiens, siue exprimatur, siue subaudiatur, alias Genitiuum regit, ut Nomen, alias Accusatiuum, ut uerbum.

Da exempla Genitiui, qui à verbo infinito regitur.

Cũ dicimus, *Tempus est legendi,* subauditur *legere,* quod uim habet substantiui nominis in genitiuo casu, quasi esset *Lectus,* idest Lectionis, & hoc verbum infinitum suppressum cum participio conuenit in numero & casu. Iam cum dicimus, *Tempus est legendi lectionis,* Genitiuus *Lectionis* regitur non à participio *Legendi,* sed à suppresso verbo infinito

finito *Legere*, quod Nominis vim habet. nam *Legere bonum est*, idem significat ac *Lectio bona est*. Similiter Latinè dicitur, *Tempus est legendi poetarum*, quia Genitiuus *Poetarum* regitur à suppresso verbo infinito *legere*, quasi dictũ foret: Tempus est legendi lectus poetarum, idest, legendæ lectionis poetarum.

Da exempla accusatiui, qui à Verbo infinito pro nomine posito regitur.

Cum dicimus, *Nunc est bibendum*, subauditur *Bibere*, quod vim habet substantiui nominis in nominatiuo casu & cum participio conuenit in numero & casu. Iam cum dicimus, *Nunc est bibendum aquam*, Accusatiuus *Aquam* nõ regitur à Participio *Bibendum*, sed à supposito verbo *Bibere*, quod Nominis vim habet. Sic prisci dicebant, *Pugnatum est Pugnam*, subaudito verbo infinito *Pugnare*, quod regit Accusatiuum *Pugnam*. Sic *Ardeo desiderio discendi literas*, suppressum est verbũ infinitum *Discere*, quod Accusatiuum *Literas* regit. *Tempus est legendi*, subauditur *Legere*, quod vim habet Nominis in Genitiuo casu. Ergo cum dicitur, *Tempus est legendi poetas*, Accusatiuus *Poetas* non regitur à participio *Legendi*, sed à verbo infinito suppresso *legere*. *Legendo fies doctus*, pro in legendo legere, idest, in legendo lectu, siue in legenda lectione fies doctus. Cum ergo dicitur, *Legendo libros fies doctus*: Accusatiuus *Libros* à suppresso verbo *Legere* regitur. *Eo spectare ludos*, pro ad spectare, siue ad spectatum vel spectationem. Hic Accusatiuus *Ludos* regitur a verbo infinito, quod nominis vim habet, cum ei Præpositio addi possit, sicut Lucretius: *Ad sedare sitim fluuij fontesq; vocabant.*

Quotuplex est Rectio Præpositionis?

Triplex. aliæ enim præpositiones regunt Accusatiuum, aliæ Ablatiuum aliæ vtrumq;

Quæ est regula Rectionis Præpositionum cum Accusatiuo?

Præpositiones sequentes viginti sex adsciscunt Accusatiuũ. Ad, apud, ante, aduersus vel aduersum, cis, citra, circa, circum, contra, erga, extra, inter, intra, infra, iuxta, ob, pone, penes, per, post, propter, præter, supra, secundum, trans, vltra.

Quæ

Quæ est regula Rectionis Præpositionis cum Ablatiuo?

Præpositiones quindecim sequentes adsciscunt sibi Ablatiuum, A,ab,abs,absq; coram,cum,de,e,ex, foras, præ,pro, palam,sine,tenus.

Quæ est regula Rectionis Præpositionum Dubiarum?

Præpositiones quinque In,sub,super,subter & Clam,alias Accusatiuum,alias Ablatiuum sibi adsciscunt.

Quando In regit Accusatiuum?

Primo,cum significat motum seu transitum vt: *Via ducit in vrbem. Hanc mihi dat in manum.* Deinde cum actio differtur, vt: *In diem est quod minaris. Præsens in tempus rem hanc omitte. Precor vt in hunc & plures annos viuas.* Postremo cum accipitur pro Erga vel Contra, vt: *Pius in patrem, Ingratus in præceptorem.*

Quando In regit Ablatiuum?

Cum significat aliquid In loco fieri, vt: *In portu nauigo.*

Quando Sub regit Accusatiuum?

Cum significat motum, vel Idem quod *Post* aut *Circa*, vt: *Sub terras ibit imago. Sub galli cantum. Sub eas literas recitata sunt tua.*

Quando Sub regit Ablatiuum?

Cū quietē significat,vt: *Sub pedibus, sub arbore, sub iudice.*

Quando Super regit Accusatiuum?

Cum significat motum, vt: *Columnam super tumulū statui voluit.* Virgilius tamen in quiete significanda vtitur. *Fama super æthera notus.* Et Propert. *Et grauis ipse super libera colla sedet.*

Quando Super regit Ablatiuum?

Cum significat quietem, vel idem quod *De*, vt: *Fronde super viridi. Hac super re ad eum scribam.*

Quando Subter regit Accusatiuum?

Cum siue motum,siue quietem significat,vt: *Plato iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locauit,* pro,sub præcordijs,infra præcordia. *Subter pineta Galesi,* pro, sub pinetis. *Et subter captos arma sedere Duces.*

Quando Subter regit Ablatiuum?

In Oratione poetica tantum,vt: *Subter densa testudine.*

Quando

Quando Clam regit Accusatiuum & Ablatiuum?

Apud priscos magis Accusatiuum regebat, vt: *Clam uxorem*: apud recentiores Ablatiuum, vt: *Clam patre*. Plautus eo vt Aduerbio vtitur, eiq; Datiuum iungit. Milit. *Meretricem moneri quam magni referat, mihi clam est*, pro mihi occultum est.

DE SYNTAXI IRREGVLARI. Seu Figurata.

Quid est Syntaxis Irregularis seu Figurata?

Est compositio inter se partium Orationis consentanea consuetudini beneloquentium, etsi à regulis Syntaxeos alienior.

Quotuplex est Syntaxis Figurata?

Duplex, Vernacula scilicet seu Domestica, & Peregrina, seu Trãsmarina, aut Græcanica, quæ Hellenismus vel Græcismus dicitur.

Quid est Syntaxis Figurata Vernacula?

Consentanea natiuæ Romanorum consuetudini, *quam penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi*. Itaq; qui sequitur regulas neglecta consuetudine, loquetur Grammaticè, sed non latinè: qui vero sequitur consuetudinem, neglectis licet regulis, loquetur latine.

Quotuplex est Syntaxis Figurata Vernacula?

Duplex; Simplex & Composita. nam vel vna tantum in constructione figura est, vel duæ.

Quotuplex est Syntaxis Figurata Vernacula Simplex?

Quadruplex. nam artis regulæ negliguntur vel per Exsuperãtiam, cum aliquid in oratione superat vel superfluit, diciturq; *Pleonasmus*, aut *Parelcon*: vel per Defectum, cum aliquid in oratione deest, diciturq; partim *Ellipsis*, partim *Zeugma*: vel per Discordiam, cum in oratione dissensus est, diciturq; *Syllepsis*: vel per ordinem inuersum seu turbatum, diciturq; *Hyperbaton*.

DE

Quid est Pleonasmus vel Parelcon?

Est figura Latinę consuetudinis, per quam aliquid ad legitimam constructionem additur siue superest, vel abundat, vt: *Agedum, Agesis, Dicdum, Dicsis, Iteradũ*, pro Age, Dic, Itera. *Commigrauit huc viciniæ, Proxime viciniæ habitat*. In his abundat vox *viciniæ*. Ita superuacui & otiosi sunt Genitiui in istis: *Interea loci, Vbi locorum, Longe gentium, Nusquam gentium, Minime gentium, Vbiq; terrarum, Tunc temporis*. Ita *Quòd* abundat in istis: *Quod si, quod ni, quod nisi, quod vtinam*. *Eius* abundat in hoc, *Quoad eius fieri potest*. *Magis* parelcon & otiosum est in istis; *Magis beatior, magis maior*. Et *Potius* cum *Malle*. Cic. *Casum potius, quam te laudari mauis*. *Tandem* superuacuum est in istis; *Nimis iracunde hercle tandem, heus tibi dico tu*. *Ita ne tandem vxorem duxit Antipho?* Pleonasmus etiam est cum simul in eadem periodo ponuntur, *Sicut, sic: sicut, ita: similiter, itidem vt: Prius, antequam: Postquam, post: Præterquam, præterea: Tamenetsi* seu *Tametsi tamen: Si quãdo, Vbi quando: Ergo, igitur: Itaq; ergo: En ecce: Post, deinde: Extemplo, simul: Saltem, modo: Quia, enim: Quippe, quia: Quidem, certe: Olim, quondam: Totus, perpetuus; Vniuersi, omnes; Ambo, duo*: quod in idiotismo Italico hæsit. Plaut. Amph. act. 3. sc. 3. *Iam hi ambo seruus & herus frustra sunt duo*. Etiam, *Is* abundat in hoc Pœn. act. 5. sc. 2. *Pater tuus is erat frater patruelis meus*. pro quo aliter rectè dicas; Pater tuus idem erat frater meus.

DE ELLIPSI.

Quid est Ellipsis?

Est figura latinæ consuetudinis, per quam ad legitimam constructionem deest vocabulum vnum aut plura.

Quotuplex est Ellipsis?

Duplex. Alia est simplex, in qua vnum deest vocabulũ, alia multiplex, in qua plura desunt vocabula.

Quo-

Quotuplex est Ellipsis simplex?

Duplex. Alia est Ellipsis partium orationis, vt Nominis,& Verbi, alia Particularum, vt Præpositionis, Aduerbij & Coniunctionis.

Quotuplex est Ellipsis Nominis?

Duplex. Alia est Nominis Substantiui, alia Adiectiui.

Quotuplex est Ellipsis Nominis Substantiui?

Duplex. Aut enim nomen substantiuum ad concordiã deest, aut ad rectionem.

Quotuplex est Ellipsis substantiui, quod deest Concordia?

Duplex. Aut enim deest nomen substantiuum, quod cũ adiectiuo siue absoluto, siue relato, aut quod cum verbo siue finito, siue infinito concordet.

Qualis est Ellipsis Substantiui cũ Adiectiuo concordantis?

Cum adiectiuum siue absolutum, siue relatum sine nomine substantiuo secũ per omnia conueniente ponitur, vt: *Hoc est pecus regium*. pro Hoc pecus est pecus regiũ. *Mercator Athenis discessit. is nauem fregit, qua vehebatur*. pro Is mercator nauẽ fregit, qua naue vehebatur. *De meo viuo* pro de meo ære. *Parui facio*, pro parui pretij rem facio. *Agnina cara est*. pro Caro agnina. *Laurea* vel *Ciuica donatus est*. subaudi Corona. *Noxiam meruit*. Subaudi Culpam. *Superos cole*. subaudi Deos. *Quartana laborat*. Subaudi Febre. *Tu es miser*. Subaudi Homo. *Triste lupus stabulis*. pro triste negotium, id est, tristis res. *Malum videtur esse mors*. Subaudi Negotium. *Mentiri non est meũ*. Subaudi Officium. *Magno emit*. Subaudi Pretio. *Virtus est laudanda*. pro res laudanda. *Bonum nuncium allatum esse audio*. Subaudi Sermonem vel Rumorem. *Die crastini*. Subaudi Solis. *Ex quo, ex illo, Breui, sero, Optato*. Subaudi Tempore. *Patria*. Subaudi Terra. *Paucis te volo*. Subaudis Verbis. *Delphica laurus*. Subaudi Arbor. nam Adiectiuum *Delphica* non consentit in generis terminatione cum substantiuo *laurus*, quod per terminationis regulã est generis masculini. Sic *Terentiana Eunuchus*. Subaudi *Fabula*. *Porcus obesa*. Subaudi Fœmina. *Ouis villosus*. Subaudi Mas. *Dictamnum pota*. Subaudi Herba. *Altus*

Aethna

in mentem mihi venit. Subaudi *Recordatio*. *Memini illius.* Subaudi *Memoriam*. *Debet mihi mille centũ & decem nummorum*. Subaudi *Rem* vel *Negotium*. *Hoc magni laboris est*. Subaudi *Res*. *Aliquid lucri facere, compendi facere, Sumti facere*, Subaudi *Rem*. *Pauperis est*. Subaudi *Officium*. *Procubuit terræ*. Subaudi *solo*. *Domi belliq;* Subaudi *Tempore*. *Natus Romæ*. Subaudi *In vrbe* vel *loco*. *Lætus pabuli ager*. Subaudi cognatum substantiuum *Lætitia*, quo adiectiui forma significatur. Sic quippe Plautus *Lætum lætitia*, *Iratũm iracundia* dicit. Sit *Miser animi* subaudi Miseria, *Cupidus vini* cupiditate, *Peritus iuris* peritia, *Auidus cibi* auiditate. *Integer vitæ* integritate.

„ De hac Ellipsi Magister consulat Grammat. pag. 28. 55. & 126. & Mariangeli epistolam ad Meronum in Auctario.

Qualis est Ellipsis Substantiui, quod regitur?

Cum verbum actiuum sine accusatiuo apposito, quem regat, ponitur, aut cum genitiuus, quẽ substantiuum regit, subticetur, vt; *Terra mouit*, *Nox cælo præcipitat*, *Bene vertat*, *Res benè habet*, *Iræ leniunt*, *Venti posuere*, *Atrox præliũ diù tenuit*, *Anno vertente*, *Pallium maculat*. Subaudi *se*. *Ite domum amabo*. Subaudi *vos*. *Amabo mi senex eloquere*. Subaudi *Te*. *Imponere alicui*, Subaudi *Clitellam*. *Quo tendis, quo pergis*, *Nox appetit*, *Abit dies*, Subaudi *Iter* vel *Viam*. *Detrahere alicui*, Subaudi *Laudem*. *Cedere, decedere, succedere alicui*, Subaudi *Locum*. *Caueo Tibi*, *Timeo tibi*, *Metuo à te, de te, pro te*. Subaudi *Malum*. *Obire* & *Oppetere* Subaudi *Mortem*. *Soluit è portu*, *statim conscendit*, *in portum appulit*, Subaudi *Nauẽ*. *Ignoscere alicui*, Subaudi *Peccatũ*. *Facere vitulo*, Subaudi *Sacra*. *Ire*, *ingredi*, *Ineunte ætate*, Subaudi *Viam*. *Agere*, *agitare*, Subaudi *Vitam*. *Consulo tibi*, *Prospice mihi*. Subaudi *Vtile*. *Nupsit illi*, Subaudi *Vultum*. *Viuo*, *Curro*, *Sedeo*, *Ambulo*, *Seruio*, *Certo* Subaudi *Vitam*, *Cursum*, *sessionem*, *ambulationem*, *seruitutem*, *Certamen*. *Materies aduecta est*, Subaudi *Ligni*. *Corona mille pondo*, Subaudi *Librarum*. *Millia tria hinc distat*, Subaudi *Passuum*. *Hoc mihi vsu venit*, Subaudi *Vitæ*. *idest*,

dum mihi vitæ vſus eſt, dum vita vtor. *Eſſe in numero*, ſubaudi *Rerum*.

„ De hac Ellipſi Magiſter conſulat Grammat. pag. 66. & 130. & Paradox. pag. 31.

Quotuplex eſt Ellipſis Nominis Adiectiui?

Duplex. Aut enim Adiectiuum Abſolutum, aut relatum deſideratur.

Qualis eſt Ellipſis, in qua deeſt Adiectiuum Abſolutum?

Aureus, vel *Argenteus*, vel *Denarius*, vel *Seſtertius*, ſæpe deeſt in voce *Nummus*, adeoq; ſubaudiri debet. de quo videatur Paradox. pag. 91.

Bona, deeſt in hoc: *Homo frugi*. *Fac ſis frugi*. nam à *Frux* eſt Genitiuus *Frugis*. vnde extrito s, fecerunt *Frugi*.

Commune, deeſt in hoc: *Quid mihi tecum? Illi genti nihil ad eam diem cum Romanis fuerat*.

Ens, inuſitatum participium à *Sum*, deeſt in hoc Liuij: *Ego Annibal peto pacem*. pro Ego ens Annibal, ſiue, qui ſum Annibal. Plaut. *Rebus tuis bonis meas res irrides malas*. pro Rebus tuis entibus bonis, cum tuæ res ſint bonæ. Liuius. *Celtiberi, nouus miles, diffugiunt*. Subaudi *Entes*. Ouid. *Cũ ſene nos inopi turba vagamur iners*. pro Nos entes turba iners, ſiue, nos quæ ſumus turba iners.

Par, vel *aptus*, deeſt in hoc: *Non ſum ſoluendo æri alieno*.

Seruus, deeſt in iſtis: *Eſſe alicui ad manum*, vel *à manu, ab epiſtolis, a cubiculo, a pedibus, a poculis, a ſtudijs*, hoc eſt ſeruire alicui, quod ad manum, ad epiſtolas, ad cubiculum, ad pedes, ad pocula, ad ſtudia attinet. Cicero & Corn. Nepos dicunt, *Habere aliquem ad manum*. id eſt, vti aliquo librario, ſiue, vt Suetonius & poſteriores dixerunt, *Amanuenſi*.

Qualis eſt Ellipſis, in qua deeſt Adiectiuum Relatum?

Is, vel *Ille*, deeſt poſt Coniunctionem in hoc Cornelij Nepotis in Pelopida: *Cuius belli cum ei ſumma eſſet data, eoq; cum exercitu profectus eſſet*, pro eoq; is cum exercitu. Sic idem in Thymol. *Cum frater eius tyrannidem occupaſſet, particepſq; regni poſſet eſſe*. pro particepſq; is regni. Sic idem in Dione. *Id cum factum multi indignarentur,*

ma-

magnaq; esset inuidia tyranno. pro magnæq; id esset. Plaut. Epid. act. 5. sc. 2. *A in' tu te illius inuenisse filiam?* Ep. *inueni, & domi est,* pro & illa domi est. Sallust. Iugurt. *Dum equites præliantur, Bocchus cum peditibus, quos filius eius adduxerat, neq; in priore pugna adfuerant, postremam Romanorum aciem inuadunt.* Pro neq; ij adfuerant, siue quiq; non adfuerant. Similiter sæpe Liuius, Cæsar & Hirtius.

ELLIPSIS VERBI.

Quotuplex est Ellipsis Verbi?

Duplex. Aut enim Verbum Infinitum, siue cognatum, siue alienum, aut verbum finitum deest.

Qualis est Ellipsis Verbi Infiniti Cognati?

Verbum infinitum cognatum, substantiui Nominis vim habens, deest in Participiis passiuis singularibus cuiuscũq; casus, & in Verbis Passiuis nullum aliud suppositum habentibus: *Nunc est bibendum,* deest Verbum Infinitum *Bibere,* quod est cognatum participio passiuo *Bibendum,* & vim habet Nominis substantiui. *Petendum est pacem,* Subaudi *Petere,* quod est cognatum participio nominatiui casus. In *Curritur,* deest *Currere,* quod idem valet ac Cursio vel Cursus. In *Viuitur* deest *Viuere,* id est Vita. In *Sedetur* deest *sedere,* id est, sessio. *Tempus est legendi.* Subaudi *Legere,* quod vim habet Nominis in genitiuo, quasi esset Lectus, idest Lectionis. *Charta inutilis scribendo.* Subaudi *Scribere,* quod est loco Nominis in Datiuo, quasi esset scriptui id est scriptioni. *Inter cænandum* Subaudi *Cænare,* idest inter cænam. *Perge quo cœpisti,* Subaudi *Pergere,* idest, Perrectionem. *Defessus sum legendo* Subaudi *Legere,* quod est loco Nominis in Ablatiuo, quasi esset Lectu, pro, defessus sum legenda lectione.

„ De hac Ellipsi Magister Admonitionem videat in Auctario.

Qualis est Ellipsis Verbi Infiniti Alieni?

Canere, deest in hoc: *Scit fidibus.*

Dici, deest in *Male audit.* nam integra oratio est: *Audit male in se,* vel *de se,* vel *sibi* dici. *Male* non coheret cum *Audire,* sed cum *Dici.* nam si cohereat cum *Audire,* idem

erit *Male audire*, quod *parum audire*, siue vt Afranius dicit, *Surdè audire*, Cicero, *Surdastrum esse*. *Audit bonus, doctus*, Subaudi: *Dici*, vt sit, *Audit dici esse bonus*, Græco more, pro, *audit dici se esse bonum*.
Esse vel *Fuisse*, vel *Fore*, deest in istis: *Factum illi volo*. *Ne dicas tibi non prædictum*. *Promisi vltorem*, Subaudi *Me fore*.
Ire, deest in his: *In Pompeianum cogito*. *Rhodum volo, inde Athenas*.
Loqui, deest in *Scire Græcè, Latinè*.

Qualis est Ellipsis Verbi Finiti?

Adspicio, *Video*, vel *Venit*, deest in istis: *En quatuor aras*. *Ecce homo*. *Ecce hominem*. *En Priamus*.
Amet, vel *Adiuuet*, deest in *Mehercules*, *Mecastor*, *Mediusfidius*.
Cœpit, deest in narrationibus. *Ire prior Pallas*. *Populus ea mirari*.
Dico, deest in istis: *Bona verba quæso*, Subaudi *Dic*. *Nugas* Subaudi *Dicis*. *Hæc hactenus*. *De his hactenus*, Subaudi *Dixerimus*, vel *Dictum sit*. *Quid multa?* Subaudi *verba dico*.
Fac, vel *Da*, vel *pone*, vel *esto* deest in isto: *Hæc negotia, vt ego absim confici possunt*, pro, posito vel dato, quod ego absim, quamuis ego absim. *Bono sis animo*, pro, Fac vt sis bono animo.
Facio deest in istis: *Dij melius vel meliora*, Subaudi *Faciāt*. *Studes, an piscaris, an venaris, an omnia simul?* Subaudi *Facis*. *Illa nocte nihil præterquam vigilatum est in vrbe*. Subaudi *Factum est*.
Ita dico, vel *Hoc eo dico*, deest in istis: *Satiari delectatione nō possum, vt senectutis meæ requiem noscatis*. *Hoc iam olim audiui, ne quid te noui attulisse mihi censeas*.
Licet, deest in istis: *Mea causa quæras vel in medio mari*. *Trahantur per me pedibus omnes rei*.
Moneo, vel *Fac*, deest in illis, quæ vulgo pro Imperatiuis habent, vt: *Ames, legas, ametis, legatis, ament, legant*. *Istud ne dicas*, *Cogites tecum*, *Nil mihi rescribas*.

Ob-

Obsecro, vel *Imploro*, vel *Nuncupo*, deest in istis: *Proh Deum atq; hominum fidem. Hercules tuam fidem.*

Oro vel *Precor*, deest in precibus & diris, vt: *Dij meliora ferant. Vt te perdat Iuppiter. Qui illi Dij irati sint. Qui* significat *Quomodo*, siue *Vt*.

Paro, vel *Inuenio*, vel simile quid deest in istis: *Quo mihi fortunam, si non conceditur vti? Vnde mihi lapidem?* Subaudi *Parabo* vel *Inueniam*. *Martis signum quo mihi pacis auctori? Ad quam rem nobis confluuium? ad quam vrnarium?*

Respondeo, deest in isto: *Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum.*

Sum, es, est &c. deest in istis: *Quid mihi tecum? Haud mora, festinant iussi. Hei mihi. Væ mihi*, subaudi, *Est*. *Quanam (malum) ista seruitus voluntaria*, pro, malum sit iis, qui seruire volunt.

Timeo, vel *Cauè*, vel *Vide*, deest in istis: *Ah ne te frigora lædant. At vt satis contemplata sis. Verum ne quid illa titubet.*

Volo vt, deest in hoc: *Hæc illis dicta sint.*

ELLIPSIS PRAEPOSITIONIS

Qualis est Ellipsis Præpositionis?

A, AB, AD & IN, sæpe desunt in nominibus vrbium, insularum, prouinciarum, & aliorum locorum, vt: *Sardiniam cum classe venit. Lauina venit littora. Deuenere locos lætos. Nos hinc ibimus Afros aut Scythiam. Profectus est Siciliam. Romam eo. Roma venio. Rus eo. Ruri* vel *rure viuit. I malam crucem. Iuit exilium. Redijt exilio. Tollere humo.* Vide Paradoxa pag. 23. & 24.

A & AB, sæpe desunt in iis, quæ significant vel caussam efficientem, vt: *Palleo metu, horres frigore; Corpus siccum sole & esuritione. AEger* vel *tardus vulnere. Arte insignis.*

Vel instrumentum vt: *Gladio percussus, armis defendi.*

Vel tempus consecutum, vt significent idem, quod *post*, vt: *Rediyt hoste superato, Lectis tuis litteris obdormiui. Mane vt ad portum processi*, pro *à mane*, id est, postquam iam mane fieri cæptum est.

Vel differentiam, aut distantiam, vt:

Stulto intelligens quid interest? Abest virtute illius.

Vel partem certam, cum oratio sic explicari potest: *Ex parte huius rei*, quod ad hanc partem attinet, vt:

Animo otiosus, pro, ab animo, id est, ex parte animi, quod attinet ad animum. *Ingenio improbus. Armis, pecunia multum valere*, pro ab armis, a pecunia. *Multis rebus melior*, pro, a multis quod ad multas res attinet. *Multo & Paulo melior*, pro, a multo vel paulo negotio melior, a multa re melior. *Multo magnus Orator minutis Imperatoribus præstat. Locus frumento copiosus*, pro, a frumento, quod ad frumentum attinet. *Metu vacare*, pro vacuum esse à metu, quod ad metum attinet. *Nugis referti libri*, pro, à nugis. *Transitu iniqua loca*, pro à transitu, siue vt Liuius lib. 8. dicit, *Ad transitum*. nam eadem vtriusq; est significatio. Itaq; *Facie alicui similis & faciem similis*, promiscuè dicitur, sed ibi deest *A*, hic vero *Ad*. Sic *Nuda pectore*, pro à pectore, & *Nuda pectus*, pro Ad pectus. Sic nulla significationis differentia *Miser animi, animum, &* *animo* dicitur pro animi causa, ad animum. & ab animo, vel ex animo.

AD, sæpe deest in verbis significantibus distantiam aut mensuram, vt:

Sexpedes altus. Latus quinque pedes.

Vel finem propositum, vt.

Quid frustra laboramus? pro Ad quid. *Eamus visum* vel

visere

visere, pro ad visum, ad visere. nam hic verbum infinitum vim habet Nominis in Accusatiuo. *O faciles dare summa Deos, eademq; tueri Difficiles*, pro, ad dare seu dandum, ad tueri seu tuendum. *Oues eunt pastum*.

Vel partem certam, cum orationis sensus est, quod ad hãc partem attinet, vt: *Albus dentes*. *Fractus membra*, pro, quod ad dentes & membra attinet. *Faciem illi similis*, pro Ad faciem, quod attinet ad faciem, Barbari dicunt *Quoad faciem*. Propert. de Tauro: *Cornua quam validis hæserit in laqueis*, idest, cornibus vel à cornibus. Turpilius Leucadia: *Videtur Phrygus incessum*, pro ad incessum, ab incessu, vel incessu Phryx videtur. *Sanctus alia*, pro ad alia, alioqui. *In hac fecit rectè, etsi alias res est improbus*, pro alias, quod ad alias res attinet, alioquin. *Cætera lætus*, pro ad cętera, cæteroqui. *Scis me orationes aut aliquid id genus solitum scribere*. pro ad id genus, quod ad id genus attinet. *Nihil te moror*. *Si quid te offendo*.

ANTE deest in verbis tempus significantibus, vt: *Pridie Kalendas*. *Multos abhinc annos*. *Sex menses est, cum huc venit*, pro, factum est abhinc ante sex menses cũ hùc venit. *Sexaginta annos natus sum*. Vbi Priscianus subaudit *Ante*.

CIRCA, deest in tempore significando, vt: *Tu homo id ætatis audes saltare? Hoc noctis sic solus ambulas*, pro, circa tempus id ætatis, noctis.

CVM, deest in verbis instrumentum & modum, aut comitatum significantibus, vt: *Gladio percussus. Sagitta saucius. Lęto gradu. Hac lege. Pace tua. Maxima voce inclamat. Magna cura aliquid curare. Homo magno ingenio. Afficio te honore. Prosequi odio. Arte*

tractare aliquem. Deo duce. Volente Deo. Naue proficisci. Templum clamore petebant.
Vel tempus, vt:
Cras prima luce hinc abibo.

DE, sæpe deest in iis, quæ significant vel Copiam & Inopiã, aut Obiectum, vt:
Nugis referti libri. Mendacijs liber eius plenus est. Plenus vino, Equus ligno fabrefactus. Sacrificare tauro, agno. Casa luto composita.
Vel Tempus, vt:
Noctu vel *Nocte. Hora prima. Tertia vigilia.*
Vel Causam & modum, vt:
Flere alicuius obitu. Quibus signis agnoscebas. More hominum facis. Amicorum consilio feci. Mea sententia. Meo iudicio. Mea pecunia hoc faciendum curabo. Qua causa. Qua re. pro, *Qua de re. Victitare lolio, ficis aridis.* Subaudi *De*, pro quo Hebræi dicunt *In*, vt: *Non in solo pane viuit homo*, vbi Panis vitæ causa est.
Vel Locum, vt:
Roma scribunt, pro de Roma, idest ex Roma, sicut Ouidius libros suos scripsit *De ponto* & Cicero *De Pomptino* ait se scribere & *De Gyaro* ad Atticum dedisse literas. *Vinum Chio* aut *Lesbo* pro de Chio, Lesbo idest Lesbium. *Sargus AEgypto*, idest, AEgyptius. *Non sum Animula*, pro ex vrbe Animula siue Animulas.

E vel EX, deest in verbis significantibus uel caussam efficientem, ut: *Laboro dolore*, pro ex dolore. *Amoris abundantia hoc feci. Morte alicuius voluptatem capere. Merito aliquid pati*, pro ex Merito iure. *Virtute clarus.*
Vel Modum, ut:
Ordine collocare vel dicere aliquid, pro Ex ordine, ordinatè. *Vocare aliquem nomine*, pro, Ex nomine, ut Plautus loquitur.

tur. *Lege agere cum aliquo*, pro litigare. *Lege aliqua condemnare aliquem*, pro Ex lege.

IN, sæpe deest in uerbis significantibus uel Locum, ut: *Ibam via sacra. Habitat Athenis. Victis dominabitur Argis*, pro in Argis: *Hoc loco quæres ex me*, pro, in hoc loco.
Vel Tempus, ut:
Sis multos annos superstes. Hunc annum mihi conduxi fabrorum operas. Fons die frigidus, nocte feruens. Cenabis apud me paucis diebus, p, in paucis diebus, intra paucos dies.
Vel Subiectũ aut Obiectũ, circa quod quis occupatur, ut: *Opus est mihi libris*, uel *Opus habeo libris*, pro in libris: idest meum opus, negotium uel occupatio est in libris seu circa libros, curandum est mihi ut habeam libros. Libri sunt mihi opus, uel meum opus.
Vel Causam, propter quam aliquid fit, ut:
Accusat me eo quod cito crediderim, pro, in eo. *Felix es hac vxore*, pro in uxore.
Vel Adiunctum siue Comitatum, ut ualeat idem ferè quod *Cum*, ut:
Bibulus admirabili gloria est. Sum magno timore. Annibalis nomen magna apud omnes gloria est. Lamia summa gratia est. Magno est periculo. De pace nec nulla, nec magna spe sumus. Est summa apud milites caritate.
Vel Instrumentum, quo quid efficitur, vt:
Libris me oblecto, ludis delectari.
Vel Modum, quo quid fit, vt:
Ordine aliquid facere, pro in ordine, vt ait Virgil.
Vel Partem certam, cum sensus est, quod ad hanc partem attinet, vt:
Hac vna re est illi similis, cæteris inferior. Non armis præstantior, quàm toga, pro, in armis, in toga, quod ad arma & togam attinet. *Multum velocior. Multum improbior. Paulum doctior. Paulum intelligens. Multum alicui præstare.*
Deest etiam in Ablatiuis, quos falso *Absolutos* vocant Grammatici, ut:

Can-

Cantando rumpitur anguis, pro in carmine cantando. *Bibendo perijt*, pro in bibendo bibere seu potu. *Cur tantis præmijs virtutis nemo rectè facit* pro, in tantis præmijs. *Rebus tuis bonis meas irrides malas*, pro, in rebus tuis entibus bonis, cum tuæ res sint bonæ.

OB vel PROPTER sæpe deest in verbis Infinitis Accusatiui vim habentibus, & causam, siue finem propositũ significantibus, vt:
Gratulor illi filium eius esse inuentum, pro, propter esse inuentum filium, siue ob inuentionem filii. *Moestus est se hoc fecisse*, *Pudet dixisse*, pro, ob fecisse, ob dixisse. *Accipio dolorem mihi illum irasci*, idest, ob irasci, vel iram illius. *Fleuit me discedere*, pro ob me discedere, ob meum discessum. *Ibo videre*, pro ob videre, vt videam. *Gaudeo me tibi probari*.

PER, sæpe deest in significando Tempore & parte certa, vt: *vixit centum annos*. Propert. *Io versa caput primos mugiuerat annos*, id est per primos annos, in primis annis. Idem. *I nunc & noctes disce manere domi*. Cic. *Totas noctes somniamus*. *Hirsutus brachia*, pro, per bracchia, vt ait Virgil. idest quod ad brachia attinet.
Similiter in significando loco & Obiecto, vt:
Mare nauigauit. *Terram, mare, sidera iuro*. Propert. *Ino etiam prima terras ætate vagata est*. pro, *per terras*.

PRÆ, deest in comparationibus, vt:
Doctior cæteris, pro, præ cæteris, ante cæteros. *Illum minorem me fateor*, pro, præ illo. *Bona est mulier tacita, quam loquens*, pro, præ quam loquens. *Homo non quam isti sunt, gloriosus*. *Confit cito, quam si obijcias formicis papauerem*.
Similiter in significanda causa, vt:

Homini

Homini lacrumæ cadunt gaudio.

PRO, deest in significando pretio, aut quod pretii loco est, vt:
Emi magno, idest, pro magno pretio. *Quanti emisti*, idest, pro quanti æris pretio emisti. *Pace bellum mutare. Par pari referre. Aureus vnus valet decem argenteis.*

SVB, sæpè deest in Ablatiuo, quem vulgo *Absolutum* vocant, si præsertim imperium seu præfectura in pace, in bello, literis significetur, vt: *Te Consule. Marco iudice. Rege Numa. Imperante Augusto. Te teste. Aristotele auctore. Sole ardente. Orpheo cantante.*
Deest etiam in significando instrumento, vt:
Querula voce mecum egit.

ELLIPSIS ADVERBII ET Coniunctionis.

Qualis est Ellipsis Aduerbij & Coniunctionis.

An, vel *Ne*, deest in istis: *Melius, peius, obsit, prosit, nihil curant. Studes an piscaris*, pro, studes ne.
Aut, vel *Seu*, deest in istis: *Quem sex septem mensibus non vidi proximis. Quatuor, ad summum quinque sunt inuenti. Velis, nolis.*
Enim, vel *Nam*, vel *Quia*, deest in istis: *Nimium ne crede colori; alba ligustra cadunt. Nec sum adeo informis: nuper me in littore vidi.*
Etiam deest in isto loquendi genere. *Non doctus modo, sed probus.*
Ergo, vel *Igitur*, deest in hoc Terent. *Hac non successit: alia aggrediemur via.*
Ita, vel *Sic*, sæpe deest in isto loquendi genere. *Faciam vt iubes. Rogo vt venias*, seu qui venias, pro ita rogo quemadmodum venias.

Magis,

Magis, vel *Potius* deest in hoc Plauti: *Bona est mulier tacita, quam loquens.*
Ne, deest in istis: *Caue cadas, Caue faxis*, pro, ut ne faxis, seu facias.
Nec uel *Neque* deest in isto: *Hoc mihi nec Cicero persuaserit.* Subaudi, Nec quisquam alius.
Non, sępe deest post *Nō modo, nō solū, nō tantū*, quādo scilicet oratio nō est dubia, ut: *Regnū nō modo Romano homini, sed ne Persæ quidē cuiquā tolerabile. Vt ista iā non modo homines, sed ne pecudes quidem passuræ videantur.*
Post, deest in illis: *Postridie intellexi, quam à vobis discessi. Altera die, quam à Brundisio soluit. Is duodecimo die, quam abierat, illuc peruenit.*
Prius, sæpe deest ante particulam *Quam*, ut: *Grauidam illam reliqui, quam abeo.*
Quam, sæpe deest post comparatiuas voces, ut: *Plus quingentos colaphos impegit mihi. Plus millies audiui. Calesces plus satis. Amplius sunt sex menses. Triennium amplius. Maior decem annorum. Faciam te certiorem*, Subaudi *Quam antea. Visus est mihi tristior*, Subaudi *Quam alias*, uel *præ solito.*
Quam pro, deest in comparationibus, ut: *Vestis maior corpore*, pro, maior quam pro corpore. *Ditior opinione*, pro, quam pro opinione.
Quamquam, uel *Etsi* deest sæpe, cum ei *Tamen* aduersatur, ut: *Sedulitatem mali poetæ aliquo tamen præmio dignam duxit*, pro, etsi mali poetæ.
Siue, deest in istis: *Læua, siue dextera vocaret aura. Tollere, seu ponere vult freta.*
Sed, sæpe deest, ut: *Multis ille quidem flebilis occidit, nulli flebilior, quam tibi*, pro, sed nulli flebilior.
Si, sæpe deest, ut: *Negat quis, nego: ait, aio. Vnum cognoueris, omnes noris. Vtor tā bene quam mihi pararim. Poscit, dandum: eijcit, abeundum.*
Sicut, uel *Quasi* sæpe deest, ut: *Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres*, pro, sicut fidus interpres.
Tam, deest in hoc Liuii. *Homo non quam isti sunt gloriosus,*

Et Plaut. *Non pisces expeto, quam tui sermonis sum indigẽs.*
Vel, deest quando aliud *vel* in oratione exprimitur, vt: *Vel Priamo miseranda manus*, Subaudi, *vel cuicumq; hosti*. *Vel stultus hoc intelligeret*, Subaudi, *vel quiuis alius*.
Vero, vel *Autem*, deest in istis: *Pro patre mori possum, corā patre non possum*. *Hæc morum vitia sunt, non senectutis.*
Vt, deest in istis: *Nolo dicas, Velim desinas, Sine veniat, Caue cadas, Caue ne cadas*, prout ne cadas. *Iam credo rediit*, pro vt credo.
Vtinam, deest in istis: *Tecum ludere, sicut ipsa, possem*. *Troiā arma secutum Obruerent Rutuli*. *Me quoq; qua fratrem mactasses improbe dextra*.

ELLIPSIS MVLTIPLEX.

Qualis est Ellipsis Multiplex?

Ad id nomen, seu *negotiū*, *Ob id nomen* seu *negotium*, *Ab eo* vel *Ex eo nomine* seu *negotio*, deest in *Quod* relatiuo, quæ Coniunctio vulgo putatur. Terent. Eunuc. *Sane quod tibi vir videatur esse, hic nebulo magnus est*. Ibid. *Quod dicas aliū quærebam, iter hac habui, periisti*. Et Heaut. *Id quod est consimilis moribus, facile conuinces ex te natum*. Et Hec. *Omnes læta exclamant, Venit, id quod me repente adspexerāt*. Vbi Donatus: *Deest Propter, vt sit, Propter id, ac per hoc Ideo*. Cic. 3. ad Quint. frat. 2. *Ab accusando me teneo, id quod nolo cum Pompeio pugnare, id quod iudices nullos habemus*. pro Ob id quod, eo quod, ab eo nomine quod, siue ea causa quod.
AEdes cum præpositione *In*, deest in hoc: *Est domi*, pro in ædibus domi.
AEs, cum *Alienum*, & *Par*, deest in hoc: *Non sum soluendo*, pro non sum par vel aptus soluendo æri alieno.
AEris cum *Pretio*, & *Pro*, deest in hoc: *Quanti emisti*. nā integra oratio est: Pro quanti æris pretio emisti.
Affectus seu *Præditus* cum *A*, vel *Cum* deest in istis. *Homo infirma valetudine, summa audacia, magno ingenio, nullo iudicio*.

Centena

Centena millia sestertium nummum, deest in *Decies, Vicies, Quadragies, Centies, Ducenties, Millies*. Liu. 38. *Scipionem librum rationis concerpsisse indignantem, quod cum bis millies in ærarium intulisset, quadragies ratio ab se posceretur*, pro quadragies centenorum millium ratio. Cic. 2. Philip. *Syngrapha Sestertium centies facta*, pro centies centenorum millium nummorum Sestertiorum.
Dicto, cum *Præ*, deest in hoc Virgil. *Ocyus incubuere omnes*, pro *ocyus* siue *citius dicto, vel prædicto*.
Die, cum *In*, & *Ante*, deest in istis: *Quarto idus, tertio* Kalendas, pro, in die quarto ante idus, in die tertio ante Kalendas.
Domum, cum *Ad*, vel *In*, deest in *Ducere vxorem*.
Ego ens, deest in hoc Virgil. *Adsum Troius AEneas*. Similiter *Hunc, & nymphæ veneramur*.
Factum quod vis seu *velles*, deest in *Volo tibi*, vel *Cupio*. Sic in *Bene* vel *malè alicui velle*, Subaudi *Factum*.
Loco cum *In*, deest in *Primo, secundo, tertio*, quæ malè pro Aduerbiis habentur.
Negotia cum *Ad* deest in isto: *Quid hoc mea refert*, pro quid refert siue affert ad mea negotia, id est, ad res meas, siue rebus meis.
Negotio, cum *A*, deest in isto: *Multo melior*. Est enim *à multo negotio, a multa re, non ab vna re melior*. Lucret. *Qui melior multis, quam tu fuit improbe rebus*.
Numero, cum *Ex*, deest in istis: *Primus omnium*. *Maior fratrum*. *Vnus illorum*. *Nemo amicorum*. *Græcorum doctissimus*. *Hominum alij boni, alij mali*. *Hostium trecentis interfectis*. *Lanarum nigræ nullum colorem bibunt*, pro ex numero lanarum.
Nos duo, tres, quatuor &c. *Vos duo, Hi* vel *Illi duo, Hæ duæ, Hæc duo, tria, quatuor* sæpe desunt, vt: *Ego & Cicero valemus*. *Tu & filius valetis*. *Dum fata Deusq; sinebant*. *Nox & præda hostem remorata sunt*. *Operam, studium, cōsilium, rem, fidem meam ad omnes res tibi velim parata putes*. *Pater mihi, & mater sunt mortui*. *Ipse cum fratre adesse iussi sumus*. pro Nos duo, nempe ego cum fratre, iussi

iussi sumus. *Achilles cum Patroclo ad Troiam profecti sunt.* *Herus & hera frustra sunt*, pro Hiduo, qui sunt herus & hera, frustra sunt.

Ortus, vel *Oriundus*, vel *Natus* cum *A* vel *Ab* vel *De* deest in his: *Turnus ab Aricia. Pastor ab Amphryso. Cn. Magius Cremona. Hospes Zacyntho. Vir claris natalibus. Homo obscuro loco. Adolescens de summo loco. Theseus ab Athenis*, pro Atheniensis. *Amphidamus de Arcadia*, pro Arcas.

Pergere iter ad, Subauditur in isto: *Pergendum est nobis domum.* nam accusatiuus *Domum* regitur à præpositione. In *Pergendum* Subauditur *Pergere*. quod cum sit Actiuum, regit accusatiuum *Iter*.

Res cum *Ad*, deest in *Alias*, quod indocti habent pro Aduerbio. Plaut. Epid. *Meus seruus eam rem sobriè accurauit, vt alias res ille est impensè improbus*, pro, quod ad alias res temporis & loci attinet, id est ad aliud tempus, ad aliũ locum. nam *Res Temporis* valet *Tempus*: *Res loci*, *Locus*. In hoc Cicer. *Mulieres, quibus cum iste consueuerat*, deest, *Rem habere*.

Res, cum *In Tempore* deest in istis: *Mane est, sero est.* Vide Gram. pag. 100.

Scriptum, cum *A* vel *Cum*, deest in his Cicer. *In Pompeij epistola erat in extremo. Quod epistola librarij manu est. Tu si quid librarij non intelligent, istic mõstrabis*; pro scriptum à mea manu.

Solo, cum *In*, deest in istis: *Procubuit terræ. Terræ defigitur arbor. Arbores humi arenoso genitæ*, pro, in solo arenoso humi.

Tempore, cum *In*, deest in istis: *Breui senties. Optato aduenis. Sero sapiunt. Domi belliq; optimus*, pro otii, & belli tempore.

Tempus, cum *Circa* deest in istis: *Homo id ætatis. Hoc noctis domo exis.*

Tribu, cum *De*, vel *Ex*, deest in istis: *C. Septimius Quirina.*

Terra, cum *In*, deest in hoc: *AEgypti occisus est.*

Vrbe, cum *In*, deest in hoc: *Natus Romæ.*

Verbis,

Verbis, cum *Alloqui*, deest in hoc: *Paucis te volo*.
Vincula, cum *In*, deest in hoc: *Duci illum iussit*.

DE ZEVGMATE.

Quotuplex est Zeugma?

Duplex: Verum & Falsum.

Quid est Verum Zeugma?

Est Figura Latinæ consuetudinis, per quam plures sententiæ, seu membra orationis, ad vnum verbum referuntur, quarum vnaquæq; desideraret illud verbum, si sola poneretur, vt: *Socijs & Rege recepto*, pro receptis socijs & recepto rege. *Leges & plebiscita coacta*, pro leges coactæ & plebiscita coacta. *Ego populusq; Romanus vobis bellum indico*, pro, ego indico & populus indicit. *Natura Gallis corpora animosq; magis magna, quam firma dedit*, pro, corpora magna & animos magnos. *Vites à caulibus brassicisq; si prope sati sint, refugiunt*. pro si caules prope sati, brassicæq; prope satæ sint. *O cœnæ, quibus ipse meiq; vescor*, pro, in quibus ipse vescor, & in quibus mei vescuntur. Cic. 1. Attic. 6. *Mater tua & soror à me diligitur*. Virg. *Phrygij comites, & lætus Iulus incedunt*.

Quid est Falsum Zeugma?

Quando vnum illud verbum, ad quod plures sententiæ videntur referri, non omnibus sententijs conuenit, vt: *Disce puer virtutem ex me verumq; laborē, Fortunam ex alijs*. Hic verbum *Disce* non rectè refertur ad sententiam istā, *Fortunam ex alijs*. Sed subauditur *Opta*. Non ergo Zeugma est, sed Ellipsis. Sic *Sacra manu victosq; Deos paruūq; nepotem ipse trahit*. Hic verbum *Trahit* refertur tantum ad *nepotem*: *Sacra & deos, portat*, quod verbum subaudiri debet. Cicero. *Fortuna, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur*. Hic verbum *Conflictati* conuenit posteriori tantum orationis parti. in priore subaudiri debet Verbum *Vsi*.

Quid eſt Syllepſis?

Eſt Figura Latinæ conſuetudinis, in qua concordia partium orationis turbatur, cum animus aliud concipiat, quã verbis profertur.

Quotuplex eſt Syllepſis?

Duplex Abſoluta & Relatiua.

Quid eſt Syllepſis Abſoluta?

In qua generibus, aut numeris, aut vtroq; aut etiam caſu voces diſcrepant.

Quotuplex eſt Syllepſis Abſoluta?

Quadruplex. Generis, Numeri, Vtriuſq, & Caſus.

Quæ eſt Syllepſis Generis?

Cum aliud genus proferimus, aliud mente concipimus, vt: *Pars arduus altis puluerulentus equis furit. Capita coniurationis virgis cæſi. Latium Capuaq; agro multati. Samnitium cæſi duo millia. Vbi ille ſcelus eſt, qui me perdidit.* Cic. *Hanc ſibi rem præſidio ſperant futurum.* Plaut. *Iuſtã rem eſſe oratum à vobis volo.* Idem: *Feci eius rei, quod me orauit, copiam.*

Quid eſt Syllepſis Numeri?

Cum alium Numerum proferimus, alium mente concipimus, vt: *Pars in fruſtra ſecant. Pars volucres factæ. Aperite aliquis. Cœperunt ſe quiſq; magis excollere. Etiam poetæ ſuum quiſq; opus à vulgo conſiderari vult. Nec noſtrũ quiſquam ſenſimus. Alius alium poſcunt. Vter meruiſtis culpam. Vterq; inſaniunt. Te vterq; ego atq; hic oramus. Nobiliſſimus quiſq; delecti Romam mittitur. Eunuchum velle te dixiſti, quia ſolæ his vtuntur reginæ. Contentum eſſe ſuis rebus maximæ ſunt diuitiæ. Amantium iræ amoris integratio eſt. Dotis modus fuit quadraginta millia æris. Nobile erit Romæ paſcua noſtra forum. Anxur fuit, quæ nunc Terracinæ ſunt.* Gracchus: *Credo ego inimicos meos hoc dictur ũ.* Valerius Antias: *Si res diuinæ factæ eſſent, omnia ex ſentẽtia ꝓceſſurũ eſſe.* Cic. act. 4. in Ver. *Seſtertiũ decies numeratũ eſſe,* ꝓ numerata eſſe. Subauditur enim ipſo Cicerone

ibidem docente, *Centena millia*. Velleius lib. 2. de Curione: *An accepto centies Sestertium fecerit*. pro, acceptis centies centenis millibus Sestertium. Sic *Propterea quod*, pro, Propter id quod. Plaut. *Quæ imperauisti, factum est illico*.

Quæ est Syllepsis Vtriusq; tam numeri, quam generis?

Cum & genus & numerum aliter proferimus, quam mente concipimus, vt: *Pars in flumen acti. Tunc omnis ætas currere obuij. Pars in carcerem acti, pars bestijs obiecti*.

Quid est Syllepsis Casus?

Cum alium casum proferimus, quam cõcipimus, vt Liuius 24,21. *Multitudo pars procurrit in vias, pars in adiũ vestibulis stat*, pro Multitudinis pars, vel Multitudo partim siue ad vnam partem procurrit, ad alteram partem stat, sicut Plautus Persa. *Quod partim faciunt argentarij*.

Quid est Syllepsis relatiua?

In qua nomine Relatiuo siue expresso, siue subaudito totam orationem præcedentem pro casu concipimus, aut casum in voce aliqua inuolutum referimus, vt: *Inter alia prodigia etiam carne pluit, quem imbrem aues feruntur rapuisse*. Hic Relatio fit ad casum, *Imber*, qui tamen non præcessit, sed oratio hæc, *Carne pluit*, pro eo casu concipitur, quasi dictum foret, *Carnis imber fuit*. Sic, *Per literas me consolatus sum, quem librum ad te mittam*. Hic casus *Liber* non præcessit, sed concipitur in hac oratione, *Per literas me consolatus sum*. Significat enim *Per libri compositionem*. Sic, *de Prætiana hæreditate, quæ quidem mihi magno dolori est (valde enim illum amaui) hoc velim cures*. Hic nomen *Illum* refert *Prætium*, qui casus non fuit expressus, sed in voce *Prætiana* inuolutus, quasi dictum fuisset, *De Prætij hæreditate*. Catul. *Nam Sextianus dum volo esse conuiua, Orationem in Attium petitorem Plenam veneni & pestilentia legit*. Subaudi *Ille*, nempe *Sextius*, qui casus in illa voce *Sextianus* est inuolutus, quasi fuisset: *Nam Sextij ipse dum volo esse conuiua*.

DE

Quid est Hyperbaton?

Eſt Figura Latinæ conſuetudinis,per quam verba tranſponuntur,nec ſeruatur ordo Grammaticæ conſentaneus.

Quæ ſunt ſpecies Hyperbati?

Anaſtrophe, Tmeſis, Parentheſis, Synchyſis, & Anacoluthon.

Quid eſt Anaſtrophe?

Præpoſtera vocabulorum collocatio,vt: *Mecum,Tecũ, Nobiſcum. Quibus de rebus. Quam ob rem. Quem ad modum. Me penes. Mea intereſt,* pro, eſt inter mea negotia, *Adigere arbitrum,* pro, agere ad arbitrum. *Qua propter. Ea propter.*

Quid eſt Tmeſis?

Compoſiti vel coniuncti vocabuli diuiſio, vt: *Septemq; triones. Quo me cumq; rapit tempeſtas.*

Quid eſt Parentheſis?

Senſus ſermoni, antequam abſoluatur, interiectio, vt: *Tityre dum redeo (breuis eſt via) paſce capellas. Neſcis (opinor) quid euenerit.*

Quid eſt Synchyſis?

Ordo vocum confuſior, vt: *Nihil me tui inueniſti penes. Saxa vocant Itali, medijs quæ in fluctibus,aras,* pro, Saxa, quæ in medijs fluctibus, vocant aras,

Quid eſt Anacoluthon?

Conſequentium à ſuperioribus diſcrepantia, cum ſcilicet nullo modo ſequentia cum præcedentibus cohærẽt, vt Plaut. *Hera quo me miſit ad patrem, non eſt domi.* Terent. *Nam omnes nos, quibus eſt alicunde aliquis obiectus labos, omne quod eſt interea tempus, priuſquam id reſcitum eſt, lucro eſt.* Liu. 41. *Indicandum vobis eſt, quid omnes bonos in vobis aut offendat, aut certe mutatum velint.* Hirt. bello Alex. *Ligarius quem Cæſar dimiſerat, & poſtea ſe ad Pompeium contulerat.* Varro lib. 2. rei ruſticæ 4. *Me in Arcadia ſcio ſpectatum ſuem: quæ præ pinguedine carnis non modo ſurgere non poſſet, ſed etiam vt in eius corpore ſorex nidum*

 feciſſet

fecisset, & peperisset mures. Pro, scio me spectasse suem adeo pinguem, vt non modo surgere ipsa non posset, sed etiam vt sorex nidum in ea faceret.

DE HELLENISMO
Seu Græcismo.

Quid est Græcismus?

Est Syntaxis consentanea Græcorum consuetudini, sed multis modis cum à regulis Grammaticæ Latinæ, tum à patria Romanorum consuetudine discrepans.

Quæ sunt Græcismi genera?

Multa quidem, sed præcipua sunt Græcismi Generum & Casuum.

Quotuplex est Græcismus Generum?

Triplex. Nam vel masculinum ponitur pro Neutro, vt: *Saxum ingens, campo qui forte iacebat limes agro positus*, pro, Quod iacebat. Vel Fæmininum pro Neutro, vt: *Mammæ putres Equina quales vbera*, pro. Qualia sunt vbera equina. Vel neutrum pro masculino, vt: *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur*, pro Qui appellatur.

Quotuplex est Græcismus Casuum?

Quintuplex. Nominatiui, Genitiui, Datiui, Accusatiui & Ablatiui.

Qualis est Græcismus Nominatiui?

Cum Nominatiuus ponitur pro Accusatiuo, vt; *Parum habet Consul creatus esse*, pro consulem se creatum. *Vis videri doctus*, pro doctum te esse. *Dixit daturus*, pro se daturum. *Cæsar dicitur venire*, pro Cæsarem. *Multi putantur venturi esse*, pro, eos venturos esse. Cic. *Multa sunt, quæ ego nescire malo, quam cum aliquo periculo fieri certior*, pro, quæ me nescire malo, quam fieri certiorem. Nam *Ego* hic suppositum est Verbi *Nescire*, non Verbi *Malo*, quasi esset, quæ malo esse ego inscius. Ouid. *Hanc pius Æneas eripuisse ferunt*. pro. pium Æneam.

Qualis

Qualis est Græcismus Genitiui?

Cum Genitiuus ponitur vel pro Accusatiuo, vt: *Cum aliquid agas eorum, quorum consueuisti*, pro, *Quę*. *Apponēdum est olentium herbarum*, pro olentes herbas. Vel pro Ablatiuo, vt: *Desine querelarum*, pro, à querelis. *Lassus maris*, pro à mari. *Plenus curarum*, pro, de curis. *Diues agri*, pro, agro.

Qualis est Grecismus Datiui?

Cum Datiuus ponitur pro Nominatiuo aut Genitiuo, vt *Mihi Menæchmo nomen est*, pro Menæchmus vel Menæchmi. Vel pro Accusatiuo, vt: *Nobis non licet esse tam disertis*, pro disertos. *Tibi expedit esse bono*, pro bonum.

Qualis est Grecismus Acccusatiui?

Cum Accusatiuus ponitur vel pro Nominatiuo, vt: *Illū vt viuat optant*, pro Ille. *Patrem vellem viueret tibi*, pro Pater. *Iube famulum ad me vt veniat*, pro, famulus. *Ego tē faciam vt miser sis*, pro tu. Vel pro Datiuo, vt: *Non me latet*, pro, mihi. Vel pro Ablatiuo, vt: *Occurunt animæ quales nec candidiores Terra tulit*, pro, qualibus. *Nec sæuis animum mitior anguibus*, pro, Animo. *Albus dentes*, pro, dentibus. *Similis illi faciem*, pro, facie.

Qualis est Grecismus Ablatiui?

Cum Ablatiuus pro Accusatiuo ponitur, vt: *Raptim quibus quisq; poterat elatis*, pro quæ quisq; poterat.

DE SYNTAXI FIGVRATA COMPOSITA

Quotuplex est Syntaxis figurata Composita?

Duplex. Sæpe enim Ellipsis cum Syllepsi vel generis, vel numeri, vel casus: sępe etiam cum Græcismo coniuncta est.

Da exempla Ellipsis coniunctę cum Syllepsi generis.

Cic. *Non omnis error stultitia est dicenda*, pro *dicendus*. Per Ellipsin supprimitur nomen *Res*, & per Syllepsin ponitur Genus non concordans cum ea parte orationis, quæ subauditur, sed cum ea, quæ exprimitur

quod etiam fit in isto: *Paupertas visum est onus graue*. pro *Est res visa onus graue*. Sic *Homo est creatus à Deo*. pro *Est res creata à Deo. Homo iussus est colere terram*. pro *Est res iussa colere*. *Hic error est, non scelus*. pro *Hoc negotiū* siue *Hac res est error, non scelus*. *Hic est panis, qui de cælo descendit*. pro *Hac res est panis*.

Da exempla Ellipsis coniuncta cum Syllepsi Nominis.

Plaut. *Mille drachmarum sunt reddita*. pro Res mille drachmarum est reddita. Idem: *Athenæ sunt fortunatæ*, pro Vrbs fortunata. Hic nomen *Vrbs* est suppressum per Ellipsin, & adiectiuum *Fortunatæ* concordat in numero non cum eo, quod concipitur, sed quod exprimitur.

Da exemplum Ellipsis coniuncta cum Syllepsi casus.

Cic. *Eorum partim in pompas partim in acie illustres esse voluerunt*. Hic *Partim* pro *Ad partim*, vel *In partem* est Ellipsis. *Eorum*, pro *Ii*, est Syllepsis. nam profertur Genitiuus, cum concipiatur Nominatiuus, velut nos ratio & auctoritas docet. Ratio quippe postulat, vt verbum finitū *Voluerunt* habeat pro supposito Nominatiuum. Auctoritas est Plauti Pseud. act. 3. sc. 3. *Vt mihi idem faceres, quod partim faciunt argentarij*. pro *In partem*, vt idem Asin. act. 3. sc. 3. *Age tu nunc in partem hunc delude*. Et Horat. *Pudica mulier in partem iuuat domum*, idest, partim, ad partem, ex parte. Et Ouid. de Mida: *Cætera sunt hominis partem damnatur in vnam*. idest, ab vna parte, ad vnam partem, vt Liuius 42. *Aedem Iunonis ad partem dimidiam detegit*.

Da exempla Ellipsis cum Græcismo.

Albus dentes, pro dentibus, est Græcismus. pro *Ad dentes*, est Ellipsis. *Plenus curarum*: prō de curis, est Græcismus, pro *Plenus plenitudine* seu *copia curarum* est Ellipsis. *Agis aliquid eorū, quorum consueuisti*, pro Ea quæ cōsueuisti, est Græcismus: pro quorum consuetudinem seu morem consueuisti, est ellipsis. *Diues agri*, pro *agro* est Græcismus: pro *Agri ergo*, *est Ellipsis*.

Maximæ

Maximæ Duodecim seu Regulæ Capitales.
& fundamenta totius Syntaxeos Latinæ.

1

Omnis Affirmatio & Negatio nomine & verbo constat.

2

Preter nomẽ & verbũ sunt quadã particulæ certis significationibus assignatæ, quibus nomen & verbum aliæq; minores orationis partes velut neruis colligãtur: quæ particulæ secũdum regulas exprimuntur, per Figuram supprimuntur.

3

Omne Nomen Adiectiuum habet suum substantiuum.

4

Omne Nomen seu Pronomen Relatiuum habet suum nomẽ Antecedens, quod refert.

5

Omne Nomen Comparatiuum habet suum positiuum, cum quo comparatur.

6

Omnis nominatiuus est verbi finiti suppositũ, aut ad suppositũ pertinens, siue verbũ illud sit expressum, siue suppressum.

7

Omnis Genitiuus Latina Constructione à nomine substantiuo expresso aut suppresso regitur, Græca vero constructione etiam à Prepositione EK *expressa vel suppressa.*

8

Omnis Accusatiuus à verbo Actiuo, aut à nomine Verbali, aut à præpositione regitur.

9

Omnis Ablatiuus à præpositione regitur.

10

Omne Verbũ Accidẽtale aut actiuũ est aut passiuũ, quorũ illud semper Accusatiuum expressum aut suppressum regit.

11

Omne Verbũ Finitum habet pro supposito Nominatiuum expressum aut suppressum.

12

Omne Verbũ Infinitũ habet ꝓ supposito Accusatiuũ expressũ aut suppressũ latina constructione, Græca vero sæpe Nominatiuum.

Harum Maximarum declarationem Magister inueniet *Gram. pag.* 123.

TABVLA I.

Syntaxis est vel
- *Regularis eaq; vel*
  - *Cõcordia*
    - *Partium orõnis, vt*
      - *Nõis, sub quo cõtinet̃ Participiũ Tab. II.*
      - *Verbi. Ta. III.*
    - *Particularum. Tab. IV.*
  - *Rectio vel*
    - *Nominis. Tab. V.*
    - *Verbi. Tab. VI.*
    - *Præpositionis. Tab. VII.*
- *Irregularis seu Figurata. Tab. VIII.*

TABVLA II.

Concordia Nominis est vel
- *Adiectiui cum Substantiuo pag. 81.*
- *Relatiui cum Antecedente pag. 82.*
- *Reciproci cum Supposito pag. 82.*

TABVLA III.

Concordia Verbi vel
- *Finiti cũ*
  - *Nominatiuo Supposito solo pag. 82.*
  - *Nõiatiuo Supposito et apposito pa. 83*
- *Infiniti cũ Accusatino*
  - *Supposito pag. 84.*
  - *Apposito pag. 84.*

TABVLA IV.

Concordia Particularum
- Aduerbij, cuius concordiæ sunt quinq; regulæ vel potius obseruationes pag. 83.
- Coniunctionis, cuius concordiæ duæ sunt regulæ. pag. 87.

TABVLA V.

Rectio Nominis vel
- Substãtiui
  - Cuiuscumq; pag. 88.
  - Verbalis pag. 88.
- Adiectiui vel
  - Ex participio actiuo facti pa. 89
  - Participio passiuo similis pa. 89

TABVLA VI.

Rectio verbi actiui alia
- Generalis, nempe verbi tam finiti, quam infiniti pag. 89.
- Specialis, nempe verbi infiniti pro nomine substantiuo positi. pag. 90.

TABVLA VII.

Rectio Præpositionis alia cum
- Accusatiuo pag. 91.
- Ablatiuo pag. 92.
- Vtroque pag. 92.

TA-

TABVLA XI.

Ellipsis Nominis est vel
- Substātiui, q. deest vel aa
  - Cōcordiā cū
    - Noīe adiectiuo, absoluto aut relato pag. 95.
    - Verbo
      - Fin. pa. 96
      - Infi. pa. 96
  - Rectionem
    - Actiuā, cū deest id ꝙ casū regit pa. 96.
    - Passiuā, cū deest id ꝙ regitur, siue id accusatiuus sit, siue genitiuus pag. 99.
- Adiectiui vel
  - Absoluti pag. 100.
  - Relati pag. 100.

TABVLA XII.

Ellipsis Verbi est vel
- Infiniti eiusq; vel
  - Cognati pag. 101.
  - Alieni pag. 102.
- Finiti. pag. 102.

TABVLA XIII.

Syllepsis est vel
- *Absoluta, eaq; vel*
  - *Generis* pag. 115.
  - *Numeri* pag. 115.
  - *Vtriusq;* pag. 116.
  - *Casus*
- *Relatiua*. pag. 116.

TABVLA XIV.

Hyperbatō est vel
- *Anastrophe* pag. 117.
- *Tmesis*
- *Parenthesis*
- *Synchysis*
- *Anacoluthon*.


TABVLA XV.

- *Græcismus est vel*
  - *Generũ*
    - *Masculini pro Neutro pag, 117.*
    - *Fæminini pro Neutro*
    - *Neutris pro Masculino.*
  - *Casuum*
    - *Nominatiui ꝑ Accusatiuo pag. 118*
    - *Genitiui pro*
      - *Accusatiuo pag. 119.*
      - *Ablatiuo*
    - *Datiui pro*
      - *Nominatiuo*
      - *Accusatiuo*
    - *Accusatiui pro*
      - *Nominatiuo*
      - *Datiuo*
      - *Ablatiuo*
    - *Ablatiui pro Accusatiuo.*

TABVLA XVI.

- *Figura cõposita, Ellipsis coniuncta cum*
  - *Syllepsi*
    - *Generis pag. 120.*
    - *Numeri*
    - *Casus*
  - *Græcismo*

DE



DE VERBORUM PRÆTERITIS ET SUPINIS.

Ex Emmanuelis Aluari Grammatica.

Simplicium leges ferme coniuncta sequuntur.
Hinc pauca excipiam, memori quæ mente repones.
Cum geminat primam simplex composita priorem
Præteriti amittunt; præter præcuro, repungo.
Quæq; sibi gignunt sto, do, cum poscere disco.
Præteritis quæcunque carent, spoliato supinis.
Vt glisco, vergo, ferio, cum polleo, vado.
Ambigo cum satago, quæso, quibus hisco, fatisco,
Et furit, & mæret, tum aueo, tum ringor, & aio.
Et vescor, liquor, medeor, reminiscor adauge.
Insuper à verbo seu nomine, nata, tepesco.
Mitesco veluti, quorum de nomine lis est.
Aut certè capiunt à verbis, vnde trahuntur.
Adde, quibus nomen vehemens meditatio fecit:
Esurit excepto: Veterum monumenta reuolue.

Scholion.

Simplex, & ipsius compositum (quod modo natum, modo coniunctum, modo proles, modo pignus appellamus) coniugantur eodem modo: vt *emo*, sic *adimo, perimo*; vt *vndo*, sic *redundo, secundo, exundo*. Excipiuntur nonnulla, quæ suis locis explicabuntur.

Quando præteritum simplicis geminat syllabam primam,

mam, vt *cado, cecidi*; composita secundam tantum retinent: vt *concido, concidi*; *comperio, comperi*; *reperio, reperi, respondeo, respondi*; prærerquàm *præcurro*, & *repungo*, & composita verborum *sto, do, posco, disco*, quæ geminant, sicut primogenia; *præcurri*, quod etiam *præcucurri* habet; *repupugi, astiti, addidi, depoposci, edidici*. Videndum est autem, ne nos fallant quædam, quæ composita à *do*, falsò videntur; *Secundo, Inundo, Abundo, Redundo*, & alia composita, ex *vndo*.

Quotiescunque posito verbo aliquo in carmine non apponitur eius præteritum, aut supinum, scito referri ad regulam generalem proximè positam, vt *Neco, necaui, necatum*; *Doceo, docui*; *Fingo, finxi*, &c.

„ *Insuper à verbo &c.*

Inchoatiua verba, hoc est, quæ actionem quidem non incipientem, sed inchoatam ita significant, vt magis ac magis crescat, si à verbis fiant, vt *refrigesco, incalesco*, aut carent præteritis, aut certe à primigenijs ea mutuantur; vt *refrixi, incalui*. Sin à nominibus deducantur, prorsus videntur præteritis destitui; vt *ingrauesco, mitesco, herbesco, siluesco*.

Esurio etiam supinum habet, *Esuritum*, & participium *Esuriturus*.

Scaturio, Ligurio, Abligurio, Obligurio, non sunt meditatiua, cũ diuersa sint, & significatione, & quantitate: nam, *v*, litteram producunt: cum meditatiua eandem corripiant.

Prima coniugatio.

PRæteritum prima facit aui, atumq; supinum.
Vt neco; nam necui, nectum sibi pignora seruant.
At cubui, domui, crepui, vetuique supina
Dant in itum, vt cubitum; hæc tonui, sonuique sequuntur.
M, cubo cum recipit, tantum tibi tertia flectet.
Ast id preteritis expungitur, atque supinis.
Dimicat aui, atum, micui, nil amplius optat.
A fricui frictum, à secui deducito sectum,
A laui, lotum, aut lautum, nec sperne lauatum.
Ex lauo compositum, ceu diluo, tertia poscit.

Pota-

Potatum à poto, seu potum flectito: Iuui
A iuuo tantum, vel capies à prole supinum.
Dat plicui plicitum, compostum poscit vtrunque
Supplicat aui, atum, genitumque ex nomine solum.
Ex do compositum variabit tertia: præter
Quæ venum, circum, pessumq; satisq; crearunt.
Do dedit, atque datum, verum didit omne, ditumq;
Exigit, vt vendo, trado, quod tertia flectit.
A sto flecte statum: stiti at inde profecta.
Atque stitum cupiunt, multò sed crebrius atum.

Scholion.

VErba primæ coniugationis habent in præterito *aui*, in supino, *atum*; vt *neco, neçaui, necatum*: cuius composita faciunt, *necui, nectum*; vt *eneco, enecui, enectum*. *Cubo* cum compositis tum primę, vt *recubo, accubo*: tum tertiæ; vt *accumbo, decumbo, discumbo, incumbo, recumbo*, habet *cubui, cubitum*. *Mico, micas*, cum compositis, *emico, intermico, promico, micui* habent sine supino. Solum *dimico*, habet *dimicaui, dimicatum*. Composita à verbo *plico*, & præpositura, idest præpositione; vel sequuntur simplex, vel faciunt *aui, atum*: vt *implico, implicui, implicitũ*, & *implicaui, implicatum*: sic *explico, applico*, & alia. Excipitur *Supplico*, & composita ex nomine, vt *duplico, triplico, multiplico*, quæ solum habent *aui, atum*.

Applico, cum ad nauigationem spectat, ferè *applicui* facit. *Explico* verò, cum explanare significat, *explicaui*. *Replico*, fermè *replicatum* habet: vnde suspicor præteritum *replicaui*, vsitatius esse: Participia in Rus, fermè à Supinis in *atum*, deducuntur; à cæteris rarius. Participia præteriti temporis in *atus*, & *itus* exeunt: *Applicatus* tamen, & *Complicatus* frequentiora sunt, quam *Applicitus, Complicitus*. *Frico, fricui, frictum*, cum compositis, *refrico, affrico, perfrico*, &c. Iuuen. *Si prurit frictus ocelli angulus*. Plin. in procem. *Perfricui faciem, nec tamen profeci*. Participia tamen reperiuntur interdum in *atus*, Cic. Att. lib. 12. *Quæ res forsitan sit refricatura vulnus meum*.

Do, das, cum compositis primæ, *venundo, circundo, satisdo*,

tisdo, pessundo, dedi, datum: quæ verò pertinent ad tertiam, *dedi, ditum*: vt *reddo, indo, condo, prodo*.

C*Repo, sono, tono, domo, veto* faciunt *u*, i, itum: *crepo, crepui, crepitum*: verbum, *lauo, as*, fuit etiam tertiæ, quare omnia eius composita ad eam pertinent. *abluo, proluo*, &c. Composita verbi, *sto*, vt *adsto, consto, exsto, præsto, adstiti, constiti, exstiti, præstiti*: supino verò frequentius, *atum*, saltem participijs in *Rus*, vt *præstatum*, & *præstaturus*, *Iuuo, iuui*, caret supino. Sed *adiuuo* habet *adiutum*.

Mariangelus à Fano Benedicti.

E*Xplicare* significat etiam *Aperire*, cui contrarium Cõplicare. Ita lecturus volumen siue librum cum explicat siue euoluit, lectum vero complicat aut conuoluit: inde nomen *Volumini*. Hinc librum à scriptore confectũ & absolutum dicebant *Explicitum*, quasi iam patentem & lectioni paratum; qui quamdiu affectus siue inchoatus tantum erat, explicari lectoribus non poterat: sed finitus & ad vmbilicum adductus *Explicit* siue Explicat se ac legi potest. Martial. 11. epig. 108. *Explicitum nobis vsq; ad sua cornua librum, Et quasi perfectum Septitiane refers*. Et XIV. ep. 1. *Quouiscumq; loco potes hunc finire libellum. Versibus explicitum est omne duobus opus*. S. Hieron. Epist. ad Marcellam: *Vt solemnus nos opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis medium interponere* Explicit *aut* Feliciter, *aut aliquid istius modi: ita & Hebræi, vt quæ scripta sunt roborentur, facere solent, vt dicant, Amen*. Vbi Explicit est Explicat, & subauditur *Se*, nisi tamen Hieronymus scripsit *Explicitum*; quasi esset: Iam opus seu volumen exactum est.

Secunda coniugatio.

ALtera præteritis dat, v, i, dat itumq; supinis,
Vt moneo taceo: gignit sed torreo tostum.
Sorbeo cum socijs dat, v, i, tamen absque supino.
A doceo doctum: à teneo deducito tentum.
Censeo fert censum, mistum tibi misceo donat.

I *Quod*

Quod dat, v, i, neutrum, timeoq; carento supinis.
Poscit itum valeo, careo, placeoque doletque.
Et iaceo, caleo, noceo, cum pareo iunges.
Dant di sum, video, sedeo cum prandeo: verum
S, geminat sessum, stridi nil postulat vltra.
Mordeo, præterito geminato flecte momordi.
Morsum, sic spondet, tondet, sic pendeo flectes.

,, *Scholion.*

VErba secundæ coniugationis faciunt præterito *Vi*, supino *itum*; vt *taceo, tacui, tacitum:* huius verbi cõposita *conticeo, reticeo*, carent supino. *Arceo* verò *arcui*, caret supino: at composita eius habent, vt *exerceo, exercui, exercitum; coerceo*, &c. *Prandeo, prandi, pransum*: *video, vidi, visum*: *sedeo, sedi, sessum*: *Mordeo, spondeo, pendeo, tondeo* geminant primam præteriti, *momordi spopondi*, &c. *Sorbsi* à *sorbeo* negant Grammatici dici posse, quod si sit, à *sorbo* tertiæ est. Supina verborum *valeo, careo pareo, doleo, caleo, lateo* vix forasse sunt in vsu. Inde tamen formata participia *valiturus, cariturus, pariturus*, &c.

Præteritum finita veo, vi, tumq; supinum,
Formant; vt moueo: à caueo deducito cautum.
A faueo fautum, sed ferueo ferbuit optat.
Flaueo nil paueo, conniueo, liueo possunt.
Si, sum, dat Maneo; minui sed præminet optat.
Prominet: immineo, simul eminet absque supino.
Hæreo dat si, sum, cum suadet, mulcet, & ardet,
Tergeo cum mulget, ridet: sed torqueo, tortum.
S, iussi, iussum geminat: indulgeo, si, tum.
Vrgeo, si, tantum cum fulget, turget, & alget.
Lugeo fert luxi, iampridem quæro supinum.
Luceo dumtaxat luxi, sic frigeo, frixi.
Augeo præterito facit auxi, auctumq, supino.

,, *Scholion.*

VErba *veo*, terminata faciunt præterito, *vi*, supino *tum*: vt *moueo, moui, motum*: *ferueo, ferbui* potius quã *ferui*: *flaueo* cum reliquis raro habent præteritum. *Expaui* ab *expauesco* est: *Maneo*, & eius composita, vt *remaneo*,

per-

permaneo, quæ non mutant, A, *mansi*, *mansum* : atque mutant, a, in, i, vt *emineo*, *promineo*, *eminui*, *prominui*, &c. sine supino. *hæreo*, *hæsi*, *hæsum* : *suadeo*, *suasi*, *suasum* : *mulgeo*, & *mulceo*, *mulsi*, *mulsum* : *ardeo*, *arsi*, *arsum* : *tergeo*, *tersi*, *tersũ* : *rideo*, *risi*, *risum* : *torqueo*, *torsi*, *tortum* : *iubeo* geminat s, vtrobiq; *indulgeo*, *indulsi*, *indultum* : *vrgeo*, *vrsi* : absque supino : & sex, quæ sequuntur, *fulgeo*, *fulsi* : *turgeo*, *tursi* : *algeo*, *alsi* ; *luceo*, & *lugeo*, *luxi*, *frigeo*, *frixi*. Est etiam *ferno* tertiæ. *Libet*, *licet*, *piget*, *pudet*, *placet*, duplex præteritũ habent, *libuit*, & *libitum est* ; *licuit*, & *licitum est*, *piguit*, & *pigitum est*, *puduit*, & *puditum est* ; *placuit*, & *placitum* est, à *Miseret*, *misertum est*. *Tædet*, vel *pertædet*, *pertæsum est*.

Eui, *etum*, *vieo flet*, *nec*, *cum deleo*, *quæque*
A pleo, *nascuntur repleo*, *ceu suppleo*, *complet*.
Ciui sume, *citum*, *quartæ sed pignora redde*.
Nunc, *oleo dat vi*, *dat itum*, *sic pignora patris*,
Quæ seruant sensum. *Eui*, *etum fert cætera proles*.
Ast aboleuit, *itum dat*, *fert adoleuit adultum*,
Ex veo fit, *vi*, *tum moueo foueoq; fatentur*.
A caueo cautum : *à faueo deducito fautum*.
Vi neutrum tantum poscit ceu flaueo, *liuet*.
Et paueo feruet. *Conniui hoc postulat & xi*.
Audeo nunc ausus gauisus gaudeo poscit.
Et solitus soleo, *solui tibi Crispe placebat*.

" *Scholion*.

Cleo, quod significar moueo, habet in præterito *ciui*, in supino, *citum*, penultima breui : sic *concieo*, *conciui*, *concitum* : *excieo*, *percieo*. Nam *accio*, *excio*, sunt à *cio*, quartæ coniugationis, quod significat voco. *Deleo*, *fleo*, *neo*, *eui*, *etum* : *Oleo*, *olui*, *olitum*. Eandem rationem sequuntur composita, quæ redolent, idest, quæ retinent patris, vel simplicis significationem : vt *oboleo*, *obolui*, *obolitum* : sic *redolec*, *suboleo*, *peroleo*. Cætera quæ recedunt à significatione simplicis, *oleo*, vt *exoleo*, *obsoleo*, vel potius *exolesco*, *obolesco*, *eui*, *etum*, sic *inoleo*, vel *inolesco inoleui* ; cuius supinum vix inuenies, apud bonum auctorem. *Aboleo*, *aboleui*, *abolitũ* ; *adoleo* vel *adolesco*, *adoleui*, *adultum*. A *Soleo* Ennium &

Catonem imitatus Sallustrius formauit *Solui*.

"*Tertia coniugatio*.

POstulat in Spicio aut Licio quod desinit, exi,
Ectum, vt conspicio, allicio; tamen Elicit optat
Elicui, elicitum; à feci deducito factum:
A ieci iactum; dat fodi, s, duplice fossum:
Vult fugi, fugitum: sapui sapij ve, nec vltra
Progreditur sapio: cupio, iui, gignit, & itum.
Dat capio cepi captum: sed cœpio priscum
Fert cœpi cœptum: à rapui deducito raptum.
Dat peperi, partum, aut paritum: sint pignora quarta.
Dant cussi cussum Cutio finita: parente
Vteris quassi, quassum, si legeris vsquam.

"*Scholion*.

SPecio, & *Lacio* verba sunt obsoleta, eorum solum composita sunt in vsu, vt *conspicio, aspicio, despicio, inspicio, perspicio, respicio, allicio, illicio, pellicio*, &c. quæ habent in præterito *exi*, supino *ectum*, vt conspe i, conspectum: allexi, allectum. *Sapio, sapui*, vel *sapiui* imminutum *sapij sapisti*. Mart. lib. 9. *Nubere vis Prisco non miror, Paula, sapisti*. Sapui, tamen cæteris videtur vsitatius, vnde *Resipui, Desipui*. *Furo*, caret præterito, & supino. *Cupio, cupiui, cupitum*; *Pario, peperi, partum*, habet in participio *pariturus*. *Comperio*, & *reperio*, & cætera composita à *pario* ad quartam coniugationem pertinent. *Quatio* videtur aliquando habuisse, *quassi*, *quassum*, vnde *quassa* rates; & *quasso*, *quassas*, frequentatiuum; composita sunt *concutio*, *decutio, excutio*, &c. quæ habent, *cussi, cussum*.

Rite, v, o, poscit, v, i, ac vtum, sit diluo testis.
A Ruo dic ruitum, sed vtum dant pignora tantum.
A struxi, structum: à fluxi deducito fluxum.
Congruo, nulla luo, metuoq;, pluoq; supina.
Annuo cum socijs, batuo, ingruo, respuo gignunt.
Bo, dat, bi, dat, itum: scabo, lambo carento supinis.
A scripsi scriptum, à nupsi deducito nuptum.

Scho-

Scholion.

VErba in v,o, habent in præterito v, i, in supino, *vtum*; *stato, statui, statutum*: *Ruo* facit, *rui, ruitum*, composita *rutum*, vt *obrutum*: Nata à *Nuo*, idest composita à verbo Nuo inusitato, vt *annuo, innuo, renuo*, &c. *Iuo timeo, metuo, pluo*, & reliqua supino carent. Desinentia in *bo*, habent, *bi, bitū*: vt *bibo, bibi, bibitū*: *Scabo, scabi, lambo, lābi*, sine supino: *scribo, scripsi, scriptum*. *Nubo, nupsi, nuptum*, V, i, facit *cubo* primæ, sic eius composita tertiæ, vt *decumbo, decubui, decubitum*.

Ici fert ictum: à duxi depromito ductum.
A parsi, parsum: geminat quoque parco peperci.
Vinco cupit vici, victum: à dixi elige dictum.
Sco, vi, tumque petit, ceu nosco, quiesco, suesco.
Dat gnitus agnosco, cognosco iungitur illi.
Dat pasco pastum: conquexi linque vetustis.
Vult disco didici tantum, sic posco poposci.
Dispesco dat v, i, pariter compescere solum.

Scholion.

DVco, duxi, ductum: *dico, dixi, dictum; vinco, vici, victum*, &c. Finita *sco*, faciunt *vi, tum*, vt *consuesco, cōsueui, consuetum, agnosco, agnoui, agnitum*: *cognosco, cognoui, cognitum*: *pasco, paui, pastum*: *conquinisco* idest capue inclino, iam nihil habet.

Do, di: sum gignit veluti defendere, cudo.
N, tamen amittunt Fundo, cum scindere, findo.
S, geminant fissum, ac scissum: dat pandere passum.
Tundo petit, tutudi, tunsum: sed pignora tusum.
Sume cado, cecidi, casum; Cape cædo, cecidi.
Cæsum: dat tentum, vel tensum, tendo tetendi.
Pedo pepedit habet, pensum fert pendo pependi.
Tum rudo, tum sido, tum strido carento supinis.
Dant si, sum claudo, lædo, cum rodere trudo.
Diuido cum plaudo, vado, cum ludere: vasi.
Ac vasum, à vado capiunt sibi pignora tantum,
Cedo petit cessi, cessum facit inde supino.

,, *Scholion*.

DO, syllaba terminata præterito, *di*, supinum, *sum*, faciunt, vt *cudo, cudi, cusum* : *scando, mando*, &c. Sed cauendum est, ne composita verbi *do*, nos fallant, vt *prodo, edo, reddo, subdo*, & cætera quæ habent *didi, ditum* ; *fundo, scindo, findo* ammittunt, *n*, vtrobique : *vado* nõ habet prę- teritum : composita habent *vasi, vasum* vt *euado, inuado* : *Tundo* etiam habet *tunsum* apud Plin. sed composita *tudi, tusum* ; vt *contundo, contudi, contusum* : *euado, euasi, euasum*: sic *inuado*. *Sido, sidi*, apud Colum. in compositis *sedi*, vt *insedi, assedi*.

Dat xi, ctum, Go, vel Guo, vt plango extinguo : supinis
N, tamen abyciunt stringo, cum pingere, fingo.
Tango cupit tetigi, tactum : egi ago, poscit, & actum.
Sume pago pepigi pactum, cape pangere panxi,
Vel pegi pactum, gaudent composta secundo.
Dat legi lectum, fregi dat frangere fractum.
Negligit, exi, ectum, cum intelligo diligo, poscit.
Prodigo cum dego sugo priuato supinis.
Dat pungo pupugi, punctum : dant pignora fermò
Punxi, vult si, sum, spargo cum mergere, tergo.
Dant xi, xum figo frigo ; caret ango supinis.
A traxi, tractum, à vexi deducito vectum.
Meio facit minxi, mictum, nec plura require.

,, *Scholion*.

VErba *go*, vel *guo* terminata faciunt præterito *xi*, supino, *ctum* : vt *tego, texi*, *tectum* : *plango, planxi, planctum* : *rego, rexi, rectum* : *surgo*, *surrexi*, *surrectum* : *extinguo, extinxi, extinctum*. *Pango, pepigi*, vel *panxi, pactũ* composita *pegi* solum *pactum* : vt *impingo, impegi, impactũ* : *compingo* &c. *pungo, pupugi*, facit *punctum*. *punxi*, nusquam legi apud bonum auctorem. *Mingo*, etiam nusquã apud auctores inuenitur.

Lo, luit, atque litum : colo cultum : consulo gignit
Consultum : occulit occultum : ast alo poscit, & altum.
Ante carent cello, præcello, excello supinis,
Præteritum duplex perculsi, perculit optat.

Percello perculsum haud plura require supina.
Dat pello, pepuli pulsum, vult fallo fefelli,
Falsum. A velli vel vulsi deducito vulsum.
Sublatum tollo nunc tantum, ac sustulit optat.
Sallo facit salli, salsum: dat psallere psalli.
Malo, volo, nolo, cum psallo, carento supinis.

" *Scholion.*

VErba *Lo* finita, præterito, *lui*, supino *litum*, vt *molo, molui, molitum*: *alo, alui, alitum*, & *altum*. *Ante caret cello*, idest, antecello, antecelllui, excellui, præcellui, fine supino. *Percello* ferè habet *perculi, perculsum*: & *vello, velli, vulsum*: nam perculsi, & vulsi in præterito raro admodum vsurpantur. *Tollo, sustuli, sublatum*: *extollo, extuli, elatum*, dempta prima syllaba à *tetuli* præterito obsoleto.

Mo, per v, i, dat itum: tremo flectitur absque supino.
Dant psi, ptum: demo promo, cum sumere como.
Emi fert emptum: premo pressi, s, duplice pressum.
Dat posui positum: genitum genuisse reposcit.
Dat cecini cantum: Cinui dant pignora, centum.
A Sino fit siui, atque situm: dat sternere strauit
Ac stratum: spreui, spretum dat spernere: cerno,
Creui, sed cretum capiunt sibi pignora solum.
Dat tempsi temptum temno, si legeris vsquam.
Lini vel liui: leui vel itumque trisulcum
Fert lino: po, psi, ptumque petit, ceu scalpere, carpo.
A strepui strepitum; à rupi deducito ruptum.
Linquo sibi liqui, cupiunt sibi pignora lictum.
Dat coxi, coctum; tero triui poscit, & itum.

" *Scholion.*

MO, Syllaba terminata, præterito, *vi*, supino *itũ*: vt *gemo, gemui, gemitũ*: *tremo, tremui* caret supino: *promo, prompsi, promptum*: *demo, dempsi, demptũ*: sic etiam *sumo*, & *como*.

Cerno, cum significat videre, nullum, habet præteritum verum, cum significat *adire*, vt *cernere hereditatem*, habet *creui*: composita *cretum* habent, vt *decerno, decreui, decretum.*

Scholion.

DO, syllaba terminata præterito, *di*, supinum, *sum*, faciunt, vt *cudo, cudi, cusum*: *scando, mando*, &c. Sed cauendum est, ne composita verbi *do*, nos fallant, vt *prodo, edo, reddo, subdo*, & cætera quæ habent *didi, ditum*; *fundo, scindo, findo* ammittunt, *n*, vtrobique: *vado* nõ habet prẹteritum: composita habent *vasi, vasum* vt *euado, inuado*: *Tundo* etiam habet *tunsum* apud Plin. sed composita *tudi, tusum*; vt *contundo, contudi, contusum*: *euado, euasi, euasum*: sic *inuado*. *Sido, sidi*, apud Colum. in compositis *sedi*, vt *insedi, assedi*.

Dat xi, ctum; Go, vel Guo, vt plango extinguo: supinis
N, tamen abyciunt stringo, cum pingere, fingo.
Tango cupit tetigi, tactum: egi ago, poscit, & actum.
Sume pago pepigi pactum, cape pangere panxi,
Vel pegi pactum, gaudent composta secundo.
Dat legi lectum, fregi dat frangere fractum.
Negligit, exi, ectum, cum intelligo diligo, poscit.
Prodigo cum dego sugo priuato supinis.
Dat pungo pupugi, punctum: dant pignora fermò
Punxi, vult si, sum, spargo cum mergere, tergo.
Dant xi, ctum figo frigo; caret ango supinis.
A traxi, tractum; a vexi deducito vectum.
Meio facit minxi, mictum, nec plura require.

Scholion.

VErba *go*, vel *guo* terminata faciunt præterito *xi*, supino, *ctum*: vt *tego, texi, tectum*: *plango, planxi, planctum*: *rego, rexi, rectum*: *surgo, surrexi, surrectum*: *extinguo, extinxi, extinctum*. *Pango, pepigi*, vel *panxi, pactũ* composita *pegi* solum *pactum*: vt *impingo, impegi, impactũ*: *compingo* &c. *pungo, pupugi*, facit *punctum*. *punxi*, nusquam legi apud bonum auctorem. *Mingo*, etiam nusquã apud auctores inuenitũr.

Lo, luit, atque litum: colo cultum: consulo gignit
Consultum: occulit occultum: ast alo poscit, & altum.
Ante carent cello, præcello, excello supinis,
Præteritum duplex perculsi, perculit optat.

Percello

Percello perculsum haud plura require supina.
Dat pello, pepuli pulsum, vult fallo fefelli,
Falsum. A velli vel vulsi deducito vulsum.
Sublatum tollo nunc tantum, ac sustulit optat.
Sallo facit salli, salsum: dat psallere psalli.
Malo, volo, nolo, cum psallo, carento supinis.

" *Scholion.*

VErba *Lo* finita, præterito, *lui*, supino *litum*, vt *molo, molui, molitum*: *alo, alui, alitum*, & *altum*. *Ante caret cello*, idest, antecello, antecelllui, excellui, præcellui, sine supino. *Percello* ferè habet *perculi, perculsum*: & *vello, velli, vulsum*: nam perculsi, & vulsi in præterito rarò admodum vsurpantur. *Tollo, sustuli, sublatum*: *extollo, extuli, elatum*, dempta prima syllaba à *tetuli* præterito obsoleto.

Mo, per v, i, dat itum: tremo flectitur absque supino.
Dant psi, ptum: demo promo, cum sumere como.
Emi fert emptum: premo pressi, s, duplice pressum.
Dat posui positum: genitum genuisse reposcit.
Dat cecini cantum: Cinui dant pignora, centum.
A Sino fit siui, atque situm: dat sternere strauit
Ac stratum: spreui, spretum dat spernere: cerno,
Creui, sed cretum capiunt sibi pignora solum.
Dat tempsi temptum temno, si legeris vsquam.
Lini vel liui: leui vel itumque trisulcum
Fert linò: po, psi, ptumque petit, ceu scalpere, carpo.
A strepui strepitum; à rupi deducito ruptum.
Linquo sibi liqui, cupiunt sibi pignora lictum.
Dat coxi, coctum; tero triui poscit, & itum.

" *Scholion.*

MO, Syllaba terminata, præterito, *vi*, supino *itũ*: vt *gemo, gemui, gemitũ*: *tremo, tremui* caret supino: *promo, prompsi, promptum*: *demo, dempsi, demptũ*: sic etiam *sumo*, & *como*.

Cerno, cum significat videre, nullum, habet præteritum verum, cum significat *adire*, vt *cernere hereditatem*, habet *creui*: composita *cretum* habent, vt *decerno, decreui, decretum.*

tum, ita *secerno, discerno*, & *excerno*. *Lino*, triplex habet præteritum *lini*, *liui*, & *leui* : sup. *litum* ; nam *linui* è *linio* deducitur ; vnde *delinio*, *delinitũ* &c. *Tempsi*, *temptũ* fortasse nõ inuenies : *contempsi*, *contemptũ* vsitatissimũ est : *linquo*, *liqui* solũ; cõposita *lictũ*, vt *relinquo*, *reliqui*, *relictũ*, &c.

Mariangelus à Fano Benedicti.

Cerno viri docti à κρίνω deducunt, vt sit propriè discerno aliud ab alio, quod facit is, qui videt, qui iudicat, qui pugnat. Per Metonymiam postea Antecedentis pro Consequente significat Adire siue Amplecti, vnde *Cretio hereditatis*. Antiquitus habuit duplex Supinum, vel potius participium, *Certum*, & *Cretum*. Inde *Certare*. *Certũ est mihi*, quasi satis visum, spectatum aut deliberatum, item *Decretum est mihi*. Et *Prælium iam decretum*, pro decertum seu decertatum apud Cic. 10. famil. Epist. 10. *Creui* pro Vidi dixit Plaut. Cist. act. 1. sc. 1. *Ante hac te amaui & mihi amicam esse creui*. quod Priscianus interpretatur *Vidi*, Varro *constitui*. idest mecum statui.

A Gero fit gessi, gestum : dat curro, cucurri,
Cursum : quæsitum quæro, quæsiuit habeto :
Ferre tuli latumque : vro dabit vssit, & vstum.
Præteritum verri à verro est, versumque supinum.
A sero fit seui, atque satum. vi rustica proles.
Fert, & itum ; dat v, i, ertum aliena à rure propago.
So, siui situmq; petit : dat visere, visi ;
Ac visum : incesso, incessit, tamen absq; supino.
Pinsitus, ac pistus, pinsusq; à pinsuit exit. „ *Scholion.*

VRo, *vssi*, *vstũ* : *verro*, *verri*, *versũ* : nã *versi* in præterito inusitatũ est. *A sero fit*, &c. Nõ potest tradi certa regula de cõpositis verbi *sero*; nã ferè omnia possunt accipi in alterutra significatione. Tãtũ illud animaduerte, quoties pertinẽt ad agriculturã habere *seui*, *sitũ* : alias *serui*, *sertũ* : vt *Consero*, si est simul sero, *conseui*, *consitũ* ; si congredior, *cõserui*, *consertũ* : Insero, hoc est insitionẽ exerceo, *inseui*, *insitũ* cũ significat immitto, *inserui*, *insertũ* : ita *Dissero* separatim sero, vel disputo ; *assero* iuxta sero, vel affirmo &c. Hæc tria verba, *lacesso*, *capesso*, *facesso*, *siui*, *sitũ* faciunt : ut *capesso*, *capessiui*, *capessitum*. Tacitus lib. 15. *Flauius, & Affranius principium tanti facinoris capessiuere*. S. August.

2. de

2. de Ciuit. Dei, referens uerba Cicer. ex lib. 4. de rep. *Æſchines*, inquit, *remp. capeſſiuit*. *Faceſſo* itidem *faceſsiui, faceſſitum*. Tacit. lib. 20. *Nulli vnquam periculum faceſſiſſet*, pro faceſſiuiſſet, quod ita eſſe docet ſupinum *faceſſitum*, quo uſus eſt Tull. in 6. in Verr. *Antequam audiſset*, inquit, *& negotium faceſſitum*. *Pinſo, pinſui*, & ſupinũ triplex *pinſitum, pinſum*, & *piſtum*: *Viſo, viſi, viſum*. Quæſo, tantum plurale habet *quæſumus*: cæteris caret.

Mariangelus à Fano Benedicti.

Cõtra Phocas *Quæſere* apud Salluſtiũ, & Tulliũ lectũ teſtatur. *Prece quæſit*, eſt apud Lucret. Plaut. etiã in Bacchid. *Quæſere* habet. *Piſtũ* eſt à *Piſo*, ꝙ Priſcis in vſu fuiſſe Diomedes teſtatur, de quo uideri poſsunt Scioppij Suſpectæ Lect. lib. 1. Epiſt. 16. qui etiã pridẽ doctos monuit *Aſsero*, pro Affirmo nõ ſatis Latinè dici, cũ propriè idẽ ualeat, ꝙ prope ſero ſiue adſtituo, uelut ritu ueteri faciebãt ex ſeruitute quẽpiã in libertatẽ uindicantes. Metaphoricè ergo ſignificat *Tueor* & quaſi manu iniecta vindico, quod uulgari noſtro idiotiſmo *Manutenere* dicimus. *Deſero* pro Defigo, Depango facit *Deſertũ*. Tibull. *Nã veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agro, ſeu vetus in triuio florea ſerta lapis*. ideſt ut Ouid. interpretatur *Defoſsus*. apud Varron. 1. rei ruſt. 23. Deſitus eſt ſatus. *In recẽtibus pomarijs deſitis ſeminibus*.

Xi, xum dant plecto, cum flecto, nectere, pecto.
Dant quoque pecto xui nectoq; Peto iuit, & itum,
Stertuit à ſterto tantum: meto, meſsuit optat.
Ac meſsum, s, gemino, miſi dat mitto, ſupinum
S, duplici miſsum: à verti deducito verſum.
Siſto, ſtiti, ſtatum, actiuum: neutrale ſequetur
Sto verbum: vnde ſtiti, atque ſtitum ſibi pignora ſument.
A vixi, victum, à volui deflecte volutum.
Texui amat texo, ac textũ: ſoluiq; ſolutũ. ,, *Scholion.*

F*Lecto, flexi, flexũ*: *Plecto, plexi, plexũ*: *Necto, nexi*, uel *nexui, nexum*: *Pecto, pexi*, uel *pexui, pexũ*, quamq̃ *plecto*, et *pexo* uſitatius habẽt præteritũ, quã ſupinũ: *Siſto* reperit' actiuũ ſæpe ꝓ eo, ꝙ eſt retinere; vt ſiſtere lacrymas: Siſtere gradũ. Liuius dixit, fugã ſiſtere. Plin. *Herba ſiſtit profluuiũ ſanguinis* &c. & pro præſentare ſiue cõparere, vt quidam vulgo loquuntur: vt Siſtere ſe iudicio: Cic. Attico: Da operam

vt vbicunq; erimus,te sistas: & tunc habet *stiti, statum*, vt ait Gellius lib. 2. c. 15. Interdum est neutrum pro eo, quod est stare, vel consistere, sequiturq; *sto* verbum, & habet cum eo præteritum commune *steti*. Composita neutra sunt, vt *resisto, obsisto, persisto, insisto*, ac retinent litterā, i, tam in præterito, quàm in supino, vt *persisto, perstiti, perstitum: institi, institum: restiti, restitum: consisto* tamē *constiti, constitum*, & *constatum*. Vnde participiū *constaturus*. Plin. lib. 18. cap. 5. *constaturus minimo impēdio fructus*.

Quarta coniugatio.

IVi, itum, vt Polio, fastidio quarta requirit.
Fert veni, venium, venio : sepelire, sepultum.
Singultum, singultit amat : dat amixit, amictum.
Ex pario natum per u, i, flectatur, & ertum:
Comperio, reperitq; petit, ri, poscit, & ertum.
Sancio dat sanxi, sanctum, simul optat, & itum.
Sentio vult, si, sum ; sepsi dat sepio, septum.
Hausi fert haustum : dat vinxi, vincio, vinctum.
Farcio dat farsi, fartum : vult fulcio, fulsi,
Ac fultum : sarsi, sartum dat sarcio verbum,
Veneo, fert venum, quod fermè venijt optat.
Dat salui, saltum, proles sibi vendicat vltum.

Scholion.

VErba quartæ coniugationis habent in præterito *iui* vel *ij*, vt *audiui*, vel *audij. muniui*, vel *munij* : alia tamen alijs sunt vsitatiora. *Sentio, sensi, sensum : amicio* supino *amictum*. Vnde participium *amictus* frequentissimū est. Cic. 2. Phil. *Sedebat in rostris collega tuus amictus toga pupurea*. Præt. *amicui*, quo Brutus apud Diomedem est vsus, minus placet, quam *amixi*, quo vtitur Varro apud eundem.

Composita à verbo *pario* faciunt v, i, in præterito, *ertum* supinò : vt *aperio, aperui, apertum*, eodemq; modo *operio*. *Comperio* tamen habet *comperi, compertum* : & *reperio, reperi repertum*.

Meditantia verba, quæ meditatiua dicuntur, quæ significant vehemens & quasi molestum desiderium eius actio-

nis,

nis, quam significant vt *esurio*, edendi, *cænaturio* cænandi; *scripturio*, scribendi; &c. omnia carent præterito præter *esurio, esuriui, esuritum*. Non sunt huius ordinis *ligurio, liguriui*, neq; *scaturio, scaturiui*. *Ferio*, & *aio* nec præteritũ, nec supinum habẽt: mutuari tamen possunt, *ferio percussi*, à percutio; & *Aio dixi*, à dico: aut aliquid huiusmodi. *Sancio* fortasse olim habuit etiam *sanciui*, vt supinum *sancitum* videtur ostendere. *Salio* habet quoque *saliui*, vel *salij*. Virg. 2. Georg. *Mollibus in pratis vnctos saliere per vtres*. Salui, fortasse non est in vsu, nisi in compositis, vt *Insilui, Desilui, Resilui*.

„ De Verbis Deponentibus & Communibus.

Ex or, finitis actiuam fingito vocem,
Vt vereor, vereo; veritum fluet inde supinum.
Præteritumq; simul veritus sum: cætera fingi
Hac ratione queunt. Pauca excipienda memento.
A reor est ratus, nanciscor nactus habeto.
Orsus ab ordiri deducitur: vsus ab vtor.
Vult fateor fassus: proficiscor sume profectus.
Metiri mensus gignit; pactusq; paciscor.
Comq; miniscor amat commentum: adipiscor adeptum.
Vltus ab vlciscor venit: expergiscor habebit
Experrectus: at oblitum obliuiscor adoptat.
Dat labor lapsus: misereri funde misertus.
Fert vtus loquor, atque sequor: queror accipe questus.
Dat nitor nixus: nisusq;: gradi accipe gressus.
Redde fruor, fruitus: morior tibi mortuus heret.
Nascor amat natus; tandem fert ortus oriri.
In tribus extremis per iturus flecte futurum.
Dat patior passum, inuisum mortalibus ægris.

„ *Scholion.*

PRæteritum in deponentibus facilè formabis, si fingas illorum actiuum, vt si *vereor* à *vereo* deducas, inde *verui, veritum*, atq; inde formes *veritus sum*. *Blandior* quasi à *blandio, blandiui, blanditum, blanditus sum*, atq; in cæteris eodem modo. Quædam tñ hoc modo formari nõ possunt, vt *proficiscor profectus sum*: *fateor fassus sum*: *con-*

fiteor

teor confessus sum, *diffiteor* caret præterito. Tria hæc, *morior*, *orior*, *nascor*, in præterito *mortuus sum*, *ortus*, *natus* : in participio futuri habent *moriturus*, *oriturus*, *nasciturus*. Quinque postrema *vescor*, *eris*, *liquor*, *eris* : *ringor*, *eris*, *medeor*, *reminiscor*, carent præterito, & supino.



DE SYLLABARVM dimensione.

Ex Emmanuelis Aluari Grammatica.



Yllabæ fiunt, vel, ex vna, vel ex pluribus literis, vt, i, e, runt. Literæ partim sunt vocales, partim consonantes.

Vocales sunt sex, A, E, I, O, V, Y.

Ex vocalibus fiunt sex diphthongi, Æ, AV, EI, EV, OE, YI, Vt, præmium, aurem, hei, Europa, pœna, Harpya,

Consonantes in Mutas, & Semiuocales diuiduntur.

Mutæ sunt octo, B, C, D, G, K, P, Q, T.

Semiuocales itidem octo, F, L, M, N, R, S, X. Z.

Ex quibus quatuor sunt Liquidæ L, M, N, R.

Duæ, X, & Z, sunt duplices, hoc est, valent duas consonantes, X, cs: vel gs, vt *Crux, Dux, Rex, Frux*; quod agnoscitur è casibus, *Crucis, Ducis, Regis, Frugis*: Z. SS, vt *patrisso*, pro patrizo: vel Sd, vt *Esdras*, pro Ezras.

F, præposita liquidis L, & R, vim habet mutæ.

S, quamuis immunis, ac sui iuris sit (neq; enim inter liquidas, aut duplices numeratur) interdum tamen liquescit, vt suo loco dicemus.

H, sitne litera, an adspirationis nota, dubium controuersumque est.

I, inter duas vocales posita consonans est, atq; duplex i, valet: vt *Maior, peior*, Veteres i, geminabant. *Mayo, ayo, Maya*.

I, & V, quum vocalibus præponuntur, easque comprimunt, fiunt consonantes, vt *ianua, iecur, conycio, iocus, iudex, vates, velox, vita, vox, vultus*. Vide Annot. Mariangeli

Iota Græcorũ nũquã est cõsonans: quare in *Iason, Iobus, iaspis*, & ceteris, quæ planè sunt Græca, prima vocalis est.

Iod,

Iod,apud Hebreos semper consonans est, cum vocalibus præponitur: vt, IESVS, *Ioannes*, *Iacobus*. Itaque qui hæc, atque alia eiusdem generis nomina per I. consonantem efferunt, optime quidem pronunciant, qui verò per vocalem, Græcos imitantur.

„ *Appendix*.

Claudianus Græcorum more dixit: Ne laceres versus dux Iacobe meos *Antiquis tamen poetis maior habenda est fides.* Hor. 1. Sat. 5. Credat Iudeus Apella.

V, *post*, Q, *literam semper liquescit*: *vt*, Quare, Quæro, *Quia*, *&c. At post*, G, *&* S, *modo liquescit*, *vt* lingua, anguis, extinguo, suadeo, suauis, *modo integra est suamq; vim retinet*, *vt* exiguus, suus.

Litteræ liquescunt, quum vim roburq; vocalis, aut consonantis amittunt.

„ *Syllabæ partim breues, partim longæ, partim communes*.

SYllabæ, quas temporibus metimur, aut sunt breues, aut longæ, aut communes. Tempus est spatium, interuallumque, quo syllaba pronunciatur. Syllaba breuis ex vno tempore, atq; spatio constat, vt *Ad*, *Sed*: Longa, ex duobus, vt *Ah*, *eu*. Communis est, quæ in versu tum breuis, tum longa esse potest, quales sunt priores in *Atlas Cyclops*: mediæ in *tenebræ*, *latebræ*, *phatetra*.

2 Nulla vocalis apud Latinos perpetuò breuis, aut longa est. Apud Græcos ε, & ο idest Epsilon, & Omicron, quæ e, & o, breue valent, perpetuò sunt breues, vt *Origenes*, *Timotheus*, *Herodotus*, *Macedones*, η, & ω idest, Ita, & Omega, quæ E, & O, longum valent, semper sunt longæ, vt mediæ syllabæ in *Eremus*, *Idolum*.

PRAECEPTA VNIVERSALIA DE syllabarum breuitate, ac longitudine.

„ *Præceptum* I. *De vocali ante vocalem*.

Vocalem breuiant alia subeunte, Latini.
Produc ni sequitur R, Fio, & nomina quintæ:
Quæ gemnosi casus, E, longo assumit in Ei.

Ve-

Verum E corripiunt fideique, speique, reique.
Ius commune est, vati, producito alius.
Alterius breuia: Pompei, & cetera produc.
Nomina Græcorum certa sine lege vagantur.

" *Scholion.*

VOcalis ante vocalem in Latinis dictionibus breuis est vt *Puer, fuit, Ruit.*

Vir. Æn. 12. *Disce puer, virtutem ex me, verumq; laborem.*

" *Exceptiones.*

1 *Fio*, I, habet longum, nisi sequatur R, vt *Fiebam, Fiam.* Iuue. Sat. 3. *Fient ista palam, cupient & in acta referri.*
Sin R, sequatur breue est, vt *fierem, fieri, confieri.*
Virg. AE. 4. *Confieri possit paucis, aduerte, docebo.* (b)

2 Interrogandi, ac dandi casus quintæ declinationis E, ante I. producunt, vt *Diei, speciei*, præter *rei, spei, fidei.* Horat. Ser. 1. Saty. 9.
Ventum erat ad Vestæ, quarta iam parte diei.

3 Genitiuus in *ius*, habet I, longum in soluta oratione, in carmine tum breue, tum longum, vt *Vnius, illius*: Præter *Alterius*, quod vbiq; I, habet breue: *Alius* vero, longum:
Virg. Aen. 2. *Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei.*
Horat. Epist. 1. *Nullius addictus iurare in verba magistri.* (c)

4 *Cai, Pompei, Vultei*, & si qui sunt similes vocandi casus, penultimam habent longam.
Mart. lib. 4. *Quod peto da Cai, non peto consilium.*
Ouid. de Pon. 4. *Accipe Pompei, deductum carmen ab illo.*

5 *Ohe*, priorem habet communem.
Mart. lib. 4. *Ohe iam satis est, Ohe libelle.*

" *Appendices. 1.*

1 *Aer, chorea, platea, Cytherea, elegia, Darius*, & alia huius generis, quæ vocalem ante vocalem longam habent, Græca sunt.
Ouid. Met. 2. *Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.*
Idem, ibidem. *Sæpe sub hac Dryades festas duxere choreas.*
Virg. Aen. 8. *Parce metu, Cytherea, manent immota tuorũ.*

2 *Chorea, platea* interdum, à Poetis corripiuntur.

Virg.

Virg. AEn. 6. *Pars pedib. plaudunt choreas et carmina dicũt.*
Hor. lib. 3. *Pura sunt plateæ nihil vt meditantibus obstet.*
3 Nonnumquam soluta diphtongo, in E, longum mutatur, vt *Cytherea, Cithereia: Elegia, Elegeia.*
Ouid. Met. 4. *Exigit indicij memorem Cythereia pœnam.*
Idem. Eleg. 1. *Flebilis indignos elegeia solue capillos.*

Appendices 11. generis.

„ *Idea, Andreas, philosophia, symphonia, etymologia, orthographia, & alia quamplurima vocalem ante vocalem corripiunt; licet eadem nomina, acuta penultima multi viri docti, more Græcorum, in soluta oratione pronuncient.*
Hor. in arte. *Vt gratas inter mensas symphonia discors.*

Præceptum 11. De diphthongis.

„ *Diphthongus longa est in Græcis, atque Latinis.*
Præ, rape præpositam vocali, dicque præustus.

Scholion.

„ Diphthongus longa est tam in Græcis, quàm in Latinis dictionibus, vt *AEneas, Meliboeus, præmium; laus,*
Virg. AEn. 1. *Miratur molem AEneas, magalia quondam.*
Idem. Eclog. 1. *O Melibæe, Deus nobis hæc otia fecit.*
AEn. 1. *En Priamus, sunt hic etiam sua præmia laudi.*

Exceptio.

„ Præpositio, *Præ*, composita, cum vocalem præcedit; breuis est, vt *præustus, præeo.*
Virg. AEn. 7. *Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis. (d)*

Præceptum III. De positione.

„ *Vocalis longa est, si consona bina sequatur.*
Aut duplex, aut I, Vocalibus interiectum.

Scholion.

„ Vocalis ante duas consonantes, vel vnam duplicem, vel ante I, sequente alia vocali eiusdem dictionis, longa est positione, vt *Terra, araxes, gaza, maiora, Troia.*
Virg. Aen. 3. *Terra procul vastis colitur Mauortia campis.*
Lucan. lib. 1. *Sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes.*
Virg. Eclog. 4. *Sicelides Musæ paulò maiora canamus.*

Idem

Idem. Æn.2. *Hostis habet muros: ruit alto à culmine Troia.*

,, *Appendix.*

1. *Si altera consonans fuerit in fine præcedentis, dictionis, altera in principio sequentis, vocalis nihilominus longa erit, vt,* At pius, *At, longum est, positione duarum consonantium T, & P, quamuis sit in diuersis dictionibus.*

Virg. Æn.1. *At pius Aeneas per noctem plurima voluens.*

2 *Si vtraque cõsonans, aut duplex fuerit in principio sequẽtis dictionis, ferè nihil præcedentem vocalem breuem iuuabit.*

Ouid. Met. 2. *In solio Phœbus claris lucente smaragdis.*

Virg. Æn. 4. *Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos.*

Lucan. lib. 2. *Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem.*

3 Lucente, nemorosa, æquora, *vltimas habent breues licet duæ consonantes, aut vna duplex sit in principio sequentium dictionum.*

,, *Exceptio* 1. *Deliquescentibus.*

Si mutam, liquidamque simul breuis vna præiuit,
Contrahit orator, variant in carmine vates.

,, *Scholion.*

Vocalis breuis ante mutam, & liquidam eiusdem dictionis in carmine cõmunis est: at in soluta oratione perpetuo corripitur, vt, *Volucris, Cyclops.*

Ouid. Met. 2. *Et primo similis volucri, mox vera volucris.*

Virg. Æn. 3. *Ignarique via Cyclopum allabimur oris.*

Idem. Ibid. .... *vastosque ab rupe Cyclopas Prospicio.*

,, *Appendix.*

1 *Necesse est præcedere mutam, sequi liquidam, alioqui syllaba non liquescit, vt* arma: *deinde vocalem natura breuẽ esse, nam vocalis natura lõga nunquã liquescit, vt* matris. *Agnoscitur autem syllaba breuis sæpè ex nominatiuo, qui caret R, vt,* Calaber, Cantaber, pater, *A, natura breue habent, quod accẽtus, docet, vel exẽpla poetarũ quare in* Calabro, Cãtabro, patre, *A, natura breuis liquescit; at* saluber, mater, ater, *producũt V, vel A, quare in* salubre, matre, atrũ, *nũquã corripitur. Vbi hæc regula vsui nõ est, accentus vsui erit, aut exempla poetarum. Nam quæ accentu graui deprimuntur, natura*

K bre-

breuia sunt: tenebræ, latebra, pharetra, cerebrum: *quæ acuto attolluntur, natura longa, vt* ambulacrum, delubrum, ventilabrum, volutabrum. *Itē quæ breuia reperiuntur apud poetas, sunt natura breuia, vt* atrox: *Virg. Aen.* 7. Sæuit atrox Volscens.

2 *Necesse est etiam, vt muta & liquida ad sequentem vocalem spectent. Quocirca* Abluo, obruo, subleuo, adnitor, *&c. ex hisce præpositionibus composita, nunquam primam corripiunt, quia muta ad præcedentem vocalem pertinet. Composita tamen ex re, vt* reflecto, refringo, recludo, reprimo, *primam sæpe corripiunt, quia muta ad sequentem vocalem refertur.*

3 *M. & N. raro liquescunt, idq; in Græcis, dictionibus dumtaxat: vt* Tecmessa, Cycnus, Teramnæ, Ichneumon.

Silius. Theb. 8. *Ecce inter primos Teramnæo à sanguine Clausi.*

Mart. lib. 7. *Delectat Marium si perniciosus Ichneumon.*

„ *Exceptio II.*

I, inter duas vocales in compositis: vt *Bijugus, Quadrijugus*, simplex consonans est, non duplex: quare meritò præcedens vocalis corripitur.

Virg. Aen. 10. *Interea bijugis infert se Lucagus albis.*

Id. Georg. 3. *Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.*

„ *Præceptum IV. De præteritis dissyllabis.*

Præterita assumunt primam dissyllaba longam.
Sto, do, scindo, fero rapiunt bibo, findo priores.

„ *Scholion.*

Præterita dissyllaba habent priorem longam, vt *veni, Vidi, Vici.*

Virg. Aen. 2. *Quos vbi consertos audere in prælia vidi.*

Idem. ibid. *Venit summa dies, & ineluctabile tempus.*

„ *Exceptio.*

Stedi, dedi, scidi, tuli, bibi, fidi, à *findo* corripiunt primam.

Mart. lib. 1. *Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.*

Lucan. lib. 3. *Aut scidit, & medias fecit sibi littora terras.*

Virg.

Virg. lib. 9. *Diffidit, & multa porrectum extendit arena.*

" *Appendix 1.*

Compositum *abscidi* habet penultimam communem.
Lucan. lib. 3. *Abscidit impulsu ventorum adiuta vetustas.*
Idem. lib. 4. *Abscidit nostræ multum sors inuida laudi.*
Mart. lib. 5. *Abscidit vultus ensis vterque sacros. (e)*

" *Scholion.*

In soluta tamen oratione corripiendum videtur: verisimile enim est, quando à poetis producitur, ab inusitato præsenti deduci *abscido*: quando vero corripitur, ab vsitato *abscindo*.

Præceptum V.

" *De præteritis geminantibus primam syllabam.*

Præteritum geminans primam, breuiabit vtranque,
Vt pario peperi, vetet id nisi consona duplex.
Cado cecidit habet, longa, ceu pedo secunda.

" *Scholion.*

Cum prima syllaba præteriti geminatur, eadem & secunda breuis est, nisi obstent duæ consonantes: vt *cecini, tetigi.*
Virg. Geor. 4. *Tityre te patulæ cecini sub tegmine fagi.*

" *Exceptio.*

Excipiuntur *Cecidi* à Cædo, *Pepedi* à Pedo, in quibus secunda longa est, vt & in ijs, in quibus duæ consonantes sequuntur, vt *Cucurri tetendi.*
Iuuen. Sat. 3. *Ebrius, ac petulans, qui nullum fortè cecidit.*

" *Præceptum VI. De supinis dissyllabis.*

Cuncta supina volunt primam dissyllaba longa;
At reor, & cieo, sero, & ire, sinoque linoque
Do, queo, & ortauo breuiabunt ritè priores.

" *Scholion.*

Supina duarum syllabarum habent priorem longam: vt *visum, motum.*
Virg. lib. 6. *Terribiles visus forma letumq;, laborq,*
Idem. AEn. 1. *Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.*

,, *Exceptio.*

A *reor ratum*, à *sero satum*, à *do datum*, à *cieo citum*, à *lino litum*, ab *eo itum*, à *ruo rutum*, à *queo quitum*, à *sino situm*, supina dissyllaba primam corripiunt.

Virg. Æn. 2. *Nos abiisse rati, & vento petiisse Mycenas.*
Ibidem. Ibid. *At non ille, satum quo te mentiris, Achilles.*
Val. Flac. lib. 3. *Vulnus, & extrema sonuit cita cuspide cassis.*
Ouid. Met. 1. *Hic situs est Phaeton currus auriga paterni.*
Ver. 3. Geo. *Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.*
Ou. Met. 1. *Poscebatur humus, sed itum est in viscera terra.*

,, *Appendix.*

1 *Citum* à Cieo, secundæ coniugationis, priorem breuem habet; vnde *concitus, excitus* penultima breui.

Virg. Æn. 12. *Altior insurgens, & cursu concitus Heros.*
Ouid. Met. 2. *Nec fruitur somno vigilantibus excita curis.*

2 *Citum* vero à Cio quarti ordinis, priorem producit; vnde *Concitus, Excitus*, penultima longa.

Luc. lib. 5. *Vnde ruunt toto concita pericula mundo.*
Idem. lib. 1. Rupta quies populis stratisque excita iuuentus.

3 *Ruo* nunc facit *ruitum* supino; priscis sæculis *Rutum* fecit: vnde extant composita, *Dirutum, erutum, obrutum.*

Ouid. Epist. 1. *Diruta sunt aliis, vni mihi Pergama restant.*
Virg. Æn. 1. *Nec mihi cum Teucris vllum post eruta bello.*

4 *Statum* videtur priorem habere cõmunem; inde enim *status*, vs: & *status, a, vm* priore breui oriuntur; & composita, quæ per I, efferuntur, ipsum corripiunt, vt *prestitum.*

Ouid. Fast. 4. *Hic status in cælo multos permansit in annos.*
Idem. Fast. 1. *Musa, quid à factis non stata sacra petis?*

Inde etiam *staturus, constaturus*, & quæ per A, efferuntur, eandem producunt.

Lucan. lib. 3. *Tunc res immenso placuit statura labore.*
Mart. lib. 10. *Constatura fuit Megalensis purpura centum.*

,, *Præcep. VII, De supinis polyssyllabis.*

Vtum producunt pollyssyllaba cuncta supina.
De Vi præterito semper producitur itum.
Agnitus agnosco, & cognosco cognitus effer.

Co-

Cætera corripies in itum quæcunque supina.

Scholion.

SVpina in *vtum* polysyllaba. præcedente V, habent penultimam longam: vt *Solutum, argutum, indutum,* &c. Virg. Aeneid. 9.

Lumina rara micant, somno vinoque soluti.

Item in *Tum*, à præteritis in Vi, per V, consonantem, vt *cupiui, cupitum: petiui, petitum: conditum*, à condio.

Ouid. Trist. 4. *Exulerã, requiesque mihi, nõ fama petita est,*

„ *Exceptio,*

Agnoui tamen, & *cognoui, agnitum, cognitum* penultimã breuem habent.

Ouid. Trist. 3. *Idque recens præstas, nec longo cognitus vsu.*

„ *Appendix.*

Supina, in *itum*, à præteritis in V, I, per V, vocalem, cæteraque supina in *itum*, habent penultimam breuem: vt *Monui, monitum: tacui, tacitum: credidi, creditum.* (f)

Virg. Aen. 6. *Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.*

Id. Aen. 6. *Quis te mange, Cato, tacitũ, aut te, Cosse relinquat.*

„ *Præcep. VIII. De Deriuatis.*

Deriuata Patris naturam verba sequuntur.
Mobilis, & fomes laterna, ac regula sedes,
Quamquam orta è breuibus gaudent producere primam.
Corripiunt arista, vadum, sopor, atque lucerna,
Nata licet longis, vsus te plura docebit.

Scholion.

Deriuata sequuntur naturam eorum, à quibus deriuantur, vt: *legebam, legam, lege, legito*, prima breui, quia oriũtur à præsenti *lego, legis*, cuius prior itidem breuis est.

Legeram, legissem, legero, legisse prima longa, quia à præterito *legi* nascuntur, cuius prior etiam longa est.

Aratrum, simulacrum, ambulacrum, lauacrũ, volutabrũ, inuolucrum penultima longa: quia à supinis *aratum, simulatum, ambulatum, lauatum, volutatum, inuolutum*, deducuntur: quorum penultima similiter longa est.

Redditus, exitus, introitus, aditus, initus, penultima correpta, quia supina, vnde fiunt, eandem habent breuem.

Exceptio.

„ Multa, quę suę originis naturam non sequuntur, vsu assiduaque Poetarum lectione sunt discenda, cuiusmodi sunt *fomes, mobilis, laterna, regula, sedes,* quæ primam habent longam, cum verba *Foueo, moueo, lateo, tego, sedeo,* à quibus proficiscuntur, eandem corripiant.

Contra, *Lucerna, arista, sopor, vadum,* primã corripiũt, cum verba *Luceo, areo, sopio, vado,* à quibus declinantur, eandem producant.

„ *Præceptum XI. De Compositione.*

Legem simplicium retinent composita suorum:
Vocalem licet, aut diphtongum Syllaba mutet:
Deiero corripies, cum peiero, & innuba, necnon
Pronuba, & ambitus nihilumque, & semisopitus:
Fatidicum, & reliquos fratres à dico creatos:

Scholion.

COmposita breuitatem, vel longitudinem simplicium sequuntur.

In *perlego, relego,* E, ante G, breuis est: quia in simplici *Lego,* etiam corripitur. In præterito *perlegi, relegi,* producitur, quia in simplici *Legi,* itidem longa est.

Attigi, concidi, diffidi, ebibi, rescidi, I, literam habent breuem: quia in simplicibus eadem vocalis corripitur. *Tetigi, cecidi* à cado, &c.

Oblitum, insitum, circundatum, desitum penultimam ob eandem causam habent breuem: nam à *litum* fit *oblitum,* &c.

Appendix.

„ Quantitas simplicium seruatur in compositis, quam vis vocales mutentur: sic *Concido, excido, incido, occido, recido* à *cado* penultimam corripiunt. *Eligo, seligo,* à *lego.* Contra *concido, excido, incido, occido, recido,* à *cædo* eandem producunt; sic *Allido* à lædo: *exquiro, requiro* à Quæro. *Obedio Obedis,* ab Audio.

Virg. Aen. 12. *Occidit, occideritq; sinas, cum nomine Troia.*

Iuue.

Iuue. Sat. 7. *Occidit miseros crambe repetita magistros.*
2 Hæc à simplicibus longis orta corripiuntur, *Deiero, peiero* à iuro: *Pronuba, innuba,* à Nubo.
3 *Semisopitus,* à sopitus: *maledicus, causidicus, veridicus, fatidicus,* à dico. *Nihilum* ex Ni seu Ne, & hilum. (g)
Horat. Serm. 2. Satyr. 3.
Stultitia ne erret, nihilum distabit, an ira.
4 *Connubium* à *Nubo* secundam syllabam habet commu- munem. Virg. Aen. 3.
Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia seruas?
Idem. Aen. 1. *Connubio iungam stabili propriamq; dicabo.*
Ambitus participium media longa. (h)
Ouid. Met. 1. *Iussit & ambita circumdare littora terra.*
Ambitus verò nomen eandem habet breuem.
Lucan. lib. 1. *Letalisq; ambitus Vrbi.*
Ouid. in Epist. *Thesea prensuras semisopita manus.*
Sopio, tamen & *sopitus* primam producunt.
Ouid. Met. 7. *Peruigilem super est herbis sopire draconem.*
Virg. Aen. 1. *Hunc ego sopitum somno super alta Cythera.*

„ *Præceptum X. De præpositionum compositione.*

Longa A, E, DE, DI, SE, præter dirimo, atque disertus.
Sit Re breue: at referet, à res producito semper,
Corripe pro, Græcum, sed produc ritè Latinum.
Corripe quæ fundus, fugio, neptisq; neposq;,
Et fari, festus, fateor, fanumq; crearunt.
Hisce profecto addes, pariterq; procella, proteruus,
Atque propago, genus, propago protrahe vitis,
Propino varia procuro, propago, profundo.
Corripe AB, & reliquas, obstet nisi consona bina.

„ *Scholion.*

A E; DE, DI, SE, longæ sunt, vt *amitto, erumpo, deduco, diripio, separo.*
Virg. Aen. 1. *Amissos longo socios sermone requirunt.*
Idem. Aen. 3. *Deducunt socij naues, & littora complent.*
Idem. Aen. 1. *Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.*

„ *Exceptio.*

Dirimo, & Disertus, Di, corripiunt.

Virg. Aen. 5. *Cede Deo dixitque, & prælia voce diremit.*
Mart. lib. 6. *Quod tā grande sophos clamat tibi turba togata.*
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

Refert, à *refero* corripitur: cum significat *interest*, producitur. (i)
Virg. Geor. 2. *Neque enim numero comprendere refert.*

Pro, Præpositio breuis est apud Græcos, vt *Propontis*: lōga apud Latinos, vt *Proueho*.
Ouid. de Pont. 4. *Misit in has si quos longa Propontis aquas.*
Virg. Aen. 3. *Prouehimur portu, terræque vrbesque recedunt.*

,, *Exceptio.*

Verum corripiuntur *profundus*, *profugus*, *pronepos*, & *proneptis*, *profestus*, *profari*, *profiteor*, *profanus*, *profecto*, *procella*, *proteruus*, & *propago*, cum genus significat: nam *propago* cum ad vites refertur, producitur.
Luca. lib. 6. *Quam prior affatur Pompei ignaua propago.*
Virg. Geor. 2. *Pressos propaginis arcus.*

Propino, & *procuro* primam habent communem: *propago* verbum, & *profundo* rarò primam corripiunt. (K)

Præpositiones AB, vt *ab eo*: AD, vt *adoro*; Ante vt *antefero*: Circum, vt *circum ago*: IN, vt *inuro*: OB, vt *obeo*: PER, vt *perimo*: Sub, vt *subeo*, Super, vt *superaddo*; *corripiuntur*. (l)
Iuuen. Sat. 7. *Circumagat madidas à tempestate cohortes.*

,, *Præceptum VI. De A, E, I, Y, & O, in compositione.*

Produc, A, semper compositi parte priore.
At simul E, simul I, crebro breuiare memento.
Nequicquam produc, nequando, venefica, nequam.
Nequaquam, nequis, sociosque videlicet addes,
Idem masculeum produc, & si quis, ibidem.
Scilicet, & biga, tibicen, vbique, quadriga,
Bimus, tantidem, quidam, & composta diei.
Compositi ò breuiant, Græci. Samothracia testis
Sed Minotaurus, pariterque geometra longum est.
Hic Latium variat; producere namque alioquin,
Et quandoque, at quandoquidem breuiare solemus.

,, *Sche-*

Scholion.

45 Si prior pars composita A, vocali terminetur, producitur, vt *trano, traduco, trado*. Sin autem E, fere breuis est; vt *liquefacio, tepefacio, tremefacio; stupefacio, nefas.*

Virg. Georg. 1. *Flammarumque globos, liquefactaque voluere saxa.*

Idem. Aen. 9. *Atro tepefacta cruore.* (m)

Iuuen. Sat. 3. *Credebant hoc grande nefas, & morte piandum.*

50 Exceptio.

Excipe *Nequis, nequa, nequod, nequam; nequitia, nequaquam, nequicquam, nequando, videlicet, veneficus, venefica.*

Virg. Aen. 10. *Nequa meis esto dictis mora: Iuppiter hac stat.*

Ouid. in Epist. *Barbara narratur venisse venefica tecum.*

Si prior pars compositionis in I, vel Y, desinat, corripitur, vt *Omnipotens, causidicus, tubicen, Palinurus, Polydorus.*

Virg. Aen. 10. *Tū pater omnipotens, rerū cui sūma potestas.*

Martia. li. 5. *Carpere causidicus fertur mea carmina: qui sit, Nescio. Si sciero, vae tibi causidice?*

Virg. Aen. 5. *Nudus, & ignota Palinure iacebis arena.*

Idem. Aen. 3. *Nam Polydorus ego, &c.*

Exceptiones.

I, longum habent *ibidem, vbique, idem* pronomen virile (nam neutrnm breue est) *biga, quadriga, si quis, siqua, siquod, scilicet: ilicet, tubicen, meliphyllon, Trinacria bimus, trimus, quadrimus, tantidem, quiuis, quidam quilibet, biduum, triduum*: ceteraque composita ex *die, meridie, quotidie*, &c.

Mart. lib. 12. *Difficilis facilis, iucundus, acerbus, eisdem.*

Idem lib. 2. *Si totus tibi triduo legatur.*

Idem lib. 3. *Inter tepentes post meridiem buxos.*

2 *Quatriduum* corripitur interdum.

3 *Vbicunque* frequentius, I, habet breue.

Mart. lib. 1. *Qui tecum cupis esse meos vbicunque libellos.*

Ouid. tamen Met. 7. produxit. *Seruor vbicunque est &c.*

Vbiuis, & vbilibet produci solent.

O In Græcis dictionibus priorem compositi partem claudens corripitur, vt *Cymothoe*, *Carpophorus*, *Argonauta*.

Mart. lib. 1. *Sæcula Carpophorum, Cæsar, si prisca tulissent.*
Iam nullum monstris orbe fuisset opus.

Idem. lib. 13. *Non nautas puto vos, sed Argonautas.*

Quæ per Omega scribuntur, longa sunt, *Geometra*, *Minotaurus* λαγώπυς *Lagopus*: nec plura facilè inuenies, quibus vtantur Latini.

Virg. lib. 6. *Minotaurus inest*, &c.

Mart. lib. 1. *Si meus aurita gaudet lagopode Flaccus.*

O, in Latinis dictionibus compositis, partim producitur, vt *alioquin*, *quandoq;* partim corripitur, vt *quandoquidem*, *hodie*, &c.

Virg. Eccl. 8. *Dicite quandoquidem in molli consedimus herba.*

Hor. in art. *Indignor, quandoq; bonus dormitat Homerus.*

Ouid. 4. Metam. *Ipse retrouersus squalentia protulit ora.* (n)

DE SINGVLARI NOMINIS incremento.

Quid sit incrementum.

" SI genitiuus singularis par fuerit nominatiuo, syllabarum numero, nullum erit incremētum: vt *Musa*, *musæ*: *Dominus*, *domini*. Sin longior fuerit, tum penultima genitiui incremētum erit, quæ in omnibus casibus vtriusque numeri semper genitiui quantitatem seruat: vt *Sermo*, *sermonis*, *sermoni*, *sermones*, *sermonibus*; vbique O, longum est.

Præter *Bobus*, vbi O producitur: quamuis in genitiuo singulari corripitur, *Bouis*. (o)

Appendix.

" *Iter*, *supellex*, & composita ex *Caput*, litteris PS, finita, duplici augentur incremento: *Itineris*, *suppellectilis*, *biceps*, *bicipitis*.

" *Incrementum primæ, & secundæ declinationis.*

Casi-

Casibus obliquis vix crescit prima: secunda
Corripit incrementa, tamen producit Iberi.

Scholion.

" A, Incrementum primæ declinationis nullum est, nisi apud poetas, vt *Aulai, pictai,* quod longum est.
Virg. Aen. 3. *Aulai in medio libabant pocula Bacchi.*
Incrementa secundæ declinationis corripiuntur: vt *miser, miseri: vir, viri: satur, saturi.*
Vir. Aen. 1. *Non ignara mali, miseris succurrere disco.*
Persius, Sat. 1 ..... *Inter pocula quærunt*
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.

Exceptio.

" *Iber, Iberi,* penultimam habet longam: & ex eo compositum *Celtiber, Celtiberi.*
Lucan. lib. 4. *Interea domitis Cæsar remeabat Iberis.*
Mart. lib. 1. *Vir Celtiberis non tacende gentibus.*

Incrementa tertiæ declinationis.

" *Nominis A, crescens, quod flectit tertia, longum est,*
Mascula corripies AR, & AL, finita simulq;
Par, cum compositis, hepar cum nectare, bacchar.

Scholion.

" A, Incrementum singulare tertiæ declinationis longũ est, vt, *vectigal, Titan, pietas, pax, calcar,* & *Aiax.*
Ouid. Fast. 3. *Concitat iratus validos Titanas in arma.*
Virg. Aen. 7. *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyrãni.*

Exceptio.

" Corripe masculina in Al, & Ar, Vt *Sal, Annibal, Amilcar, par, impar, compar, dispar,* &c.
Æn. 1. *Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant.*
Silius lib. 8. *Annibalem Fabio ducam spectante per vrbem.*
Aen. 5. *Pergameumq; larem, & canæ penetralia Vestæ.*
Mart. 6. *Iam sumus ergo pares.*

A, As.

" *A, quoque, & AS, Græcum breue postulat incrementum.*
S, quoque finitum, si consona ponitur ...
Et fax cum styrace, & ... climax.

Sch...

Scholion.

„ ITem Græca in A,& As: vt *poema*, *stemma*, *Pallas*,& quæ consonantem habent ante S, vt *Trabs*, *Arabs*,& *fax*, *styrax*, *Arctophylax*, & alia composita à *phylax*, *smilax*,& *climax*, itemque illa minus vsitata, *dropax*, & *anthrax*, *athrax*, *panax*, *colax*, *abax*, *nycticorax*, *Cãdax*, & *Pharnax* nõ sunt in vsu, sed *Pharnaces*, *Candaces*.

Iu Sat.8. *Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo Sanguine censeri.*

Virgil. Aen. lib. 2. *Instar montis equum diuina Palladis arte Aedificant.*

Ou. Fa. 4. *Nã modo thurilegos Arabas, modo suspicit Indos.*

Luc. 2. *Tigranemque meum, nec Pharnacis arma relinquas.*

Ouid. 6. Fast. *Postera lux melior, vincit Masinissa Siphacẽ.*

E, crescens numero breuiabit tertia primo.
Verum protrahitur genitiuus in Enis, Iberque.
Ver, luter, locuples, hæres, mercesque, quiesque.
Lex, veruex, halex, seps, plebs, rex, insuper adde.
El peregrinum, Er, Es, Græcum æthere, & aere demptis.

Scholion.

„ E, Incrementum singulare tertiæ declinationis breue est, vt grex, teres.

Ouid. Met. 2. *Mille greges illi totidemque armenta per herbas Pascebant.*

Exceptio.

„ 1 Genitiuus *enis* penultimam habet longam *Ren, renis. Siren, Sirenis.*

2 Item Peregrina in El, vt *Michael*, & Greca, in *ER*, & ES, vt *Crater*, *later*, *soter*, *tapes*, *lebes*; præter *aer*, & *æther*. Producitur quoque *ver*.

Geor. 1. *Vere nouo gelidus &c.*

Id. Æn. 3. *Crateres magnos statuunt, & vina coronant.*

Ouid. Epist. *Viginti fuluos operoso ex aere lebetes.*

I, vel Y.

„ *Corripiet pariter crescens I. Tertia primo*
In numero, at Græcum patrium producet in Inis.
Et vibex, Nesis, lis, Dis, quibus addito Samnis.

„ *Scho-*

» *Scholion.*

I, Vel Y, incrementũ singulare tertiæ declinationis breue est, vt *stips, stipis, pollex, chlamys, chalybs.*
Ouid. Fast. 4. *Dic inquam parua cur stipe quæret opes?*
Virg. Geor. 1. *India mittit ebur: molles sua thura Sabæi.*
At Chalybes nudi ferrum.

» *Exceptio.*

Genitiuus *Inis*, vel *Ynis*, à nominibus Græcis penultimam producit, vt *Delphin, Phorcin, Salamis*. Item *vibex, vibicis; glis, gliris; Nesis, nesidis, gryps, gryphis, Samnis, itis, lis, litis, dis, ditis*.
Virg. Ecl. 8. *Orpheus in siluis, inter delphinas Arion.*
Id. Aen. 8. *Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem.*
Id. Aen. 6. *Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.*

» *IX, vel YX.*

IX. produc, breuiato Histrix cum fornice, varix.
Coxendix, choenixque, cilix, natrixque, calixque.
Phryx, & eryx, & onyx, nix, pixque, salixque, filixque.

» *Scholion.*

NOmina *Ix*, vel YX, syllaba finita penultimam genitiui habent longam: vt *Felix, bombix, bombycis, perdix, coturnix, pernix.*
Virg. Aen. 5. *Viuite felices quibus est fortuna peracta.*
Iam sua.

» *Exceptio.*

Excipitur *histrix, fornix, Cilix, pix, natrix*, serpentis genus, *nix, niuis*, &c. (p)
Lucan. lib. 2. *Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegi.*
Idem. lib. 3. *Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.*

O

O, crescens numero producimus vsque priore.
O, paruum in Græcis breuia producito magnum.
Corripitur genitiuus Oris, quem neutra dedere
Nomina, sed produc os oris, sit breuis arbos.
Et lepus, & pus compositum, bos, compos & impos.
Adde his Cappadocem, Allobrogem cum præcoce, & obs, ops.

Scholion.

" ITem Græca in A,& As: vt *poema, stemma, Pallas*, & quæ consonantem habent ante S, vt *Trabs, Arabs*, & *fax, styrax, Arctophylax*, & alia composita à *phylax, smilax*, & *climax*, itemque illa minus vsitata, *dropax*, & *anthrax*, *athrax, panax, colax, abax, nycticorax, Cādax, & Pharnax* nō sunt in vsu, sed *Pharnaces, Candaces.*

Iu Sat.8. *Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo*
Sanguine censeri.

Virgil. Aen. lib.2. *Instar montis equum diuina Palladis arte*
Aedificant.

Ou. Fa.4. *Nā modo thurilegos Arabas, modo suspicit Indos.*
Luc.2. *Tigranemque meum, nec Pharnacis arma relinquas.*
Ouid.6. Fast. *Postera lux melior, vincit Masinissa Siphacē.*

E, crescens numero breuiabit tertia primo.
Verum protrahitur genitiuus in Enis, Iberque.
Ver, luter, locuples, hæres, mercesque, quiesque.
Lex, veruex, halex, seps, plebs, rex, insuper adde.
El peregrinum, Er, Es, Græcum æthere, & aere demptis.

Scholion.

" E, Incrementum singulare tertiæ declinationis breue est, vt grex, teres.

Ouid. Met. 2. *Mille greges illi totidemque armenta per herbas Pascebant.*

Exceptio.

"
1 Genitiuus *enis* penultimam habet longam *Ren, renis, Siren, Sirenis.*

2 Item Peregrina in El, vt *Michael*, & Greca, in *ER*, & *ES*, vt *Crater, later, soter, tapes, lebes;* præter *aer, & æther.* Producitur quoque *ver.*

Geor.1. *Vere nouo gelidus &c.*
Id. Æn.3. *Crateres magnos statuunt, & vina coronant.*
Ouid. Epist. *Viginti fuluos operoso ex aere lebetes.*

I, vel Y.

"
Corripiet pariter crescens I. Tertia primo
In numero, at Græcum patrium producet in Inis.
Et vibex, Nesis, lis, Dis, quibus addito Samnis.

" Scho-

" Scholion.

I, Vel Y, incrementũ singulare tertiæ declinationis breue est, vt *stips, stipis, pollex, chlamys, chalybs.*
Ouid. Fast. 4. *Dic inquam parua cur stipe quæret opes?*
Virg. Geor. 1. *India mittit ebur: molles sua thura Sabæi.*
At Chalybes nudi ferrum.

" Exceptio.

Genitiuus *Inis*, vel *Ynis*, à nominibus Græcis penultimam producit, vt *Delphin, Phorcin, Salamis*. Item *vibex, vibicis; glis, gliris; Nesis, nesidis, gryps, gryphis, Samnis, itis, lis, litis, dis, ditis*.
Virg. Ecl. 8. *Orpheus in siluis, inter delphinas Arion*.
Id. Aen. 8. *Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem.*
Id. Aen. 6. *Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.*

" *IX, vel YX.*

IX. produc, breuiato Histrix cum fornice, varix.
Coxendix, choenixque, cilix, natrixque, calixque.
Phryx, & eryx, & onyx, nix, pixque, salixque, filixque.

" Scholion.

NOmina *Ix*, vel YX, syllaba finita penultimam genitiui habent longam: vt *Felix, bombix, bombycis, perdix, coturnix, pernix.*
Virg. Aen. 5. *Viuite felices quibus est fortuna peracta.*
Iam sua.

" Exceptio.

Excipitur *histrix, fornix, Cilix, pix, natrix*, serpentis genus, *nix, niuis*, &c. (p)
Lucan. lib. 2. *Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegi.*
Idem. lib. 3. *Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.*

O

O, crescens numero producimus vsque priore.
O, paruum in Græcis breuia producito magnum.
Corripitur genitiuus Oris, quem neutra dedere
Nomina, sed produc os oris, sit breuis arbos.
Et lepus, & pus compositum, bos, compos & impos.
Adde his Cappadocem, Allobrogem cum præcoce, & obs, ops.

" Scho-

Scholion.

„O. Incrementum singulare tertiæ declinationis, in Latinis nominibus longũ est: vt, *sol, vox, velox, celox.* Ouid. Met. 2. *Regia solis erat sublimibus alta columnis.*

Exceptio I.

„Græca in *On*, quæ in obliquis habent Omicron, corripiuntur, vt *Philemon, Palaemon, Sindon, Agamemnon, Iason, Amazon*, & multa alia, quæ vsu discenda sunt. Virg. Aen. 11. *Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis.*

Latini interdum N, litteram amittunt, vt *Macedo, Macedonis, Brito, Vasco, Saxo, Pepo, Agamemno.* Stat. Theb. 11. *Conclamant Danai, stimulatq; Agamenno volentes,*

Quæ vero Omega scribuntur, longa sunt, vt *Simon, spado, mango, Agon, Sidon, Solon, Lycon*, &c. Duo variantur *Orion*, & *Aegon.*

Exceptio II.

„Genitiuus in *oris* à nominibus Græcis, & Latinis neutris, præter *Os, oris*, penultimam habent breuem: vt, *Nestor, marmor, ebur, corpus*: quibus adduntur *memor, arbor, lepus*, & ex τοῦ ποδός composita; vt, *Tripus.* Item *bos, compos, & impos.*

Virg. in Epig. *Sic vos non vobis fertis aratra boues.*

Neutra comparatiua sequuntur masculinorum quantitatem: vt *Maius, maioris*, penultima longa: vt *Maior.*

Exceptio III.

„Corripiuntur etiam *Cappadox, Allobrox: præcox*, & quæ consonantem habent ante S, vt *Scrobs, Aethiops, Cecrops, Dolops*, præter, *Cyclops, Cercops, Hydrops.*

Mart. lib. 9. *Cappadocum sæuis Antistius occidit oris.*

Aen. 2. *Hic Dolopum manus, hic sæuus tendebat Achilles.*

Ou. Met. 1. *Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.*

V

„*V, breuia incrementa feret: sed casus in vtis,*
Vdis, & vris ab vs, recto producitur, & fur.
Lux, frux, sed breuia intercusque, pecusque, ligusque.

Scholion.

Scholion.

" V, Incremētum tertiæ declinationis breue est, vt *Dux, præsul, murmur, furfur, turtur*.

Virg. Geor. 4. *Magnanimosq; duces, totiusq; ordine gentis.*

" *Exceptio.*

Interrogandi casus *Vdis, Vris, & Vtis,* à nominibus in *Vs*, penultimam habent longam, vt *palus paludis: tellus, telluris: virtus, virtutis*: item *fur, furis,* cum ceteris obliquis. Itēque *Pollux, lux, & frugis* à nominatiuo *frux,* inusitato: corripiunt *pecus, vdis: inter cus, vtis: Ligus, vris*.

Virg. Ecl. 8. *Quid domini facient; audent quum talia fures?*

Tib. l. 2. el. 1. *Luce sacra requiescat humus, requiescat arator.*

DE PLVRALI NOMINIS Incremento.

PEnultima genitiui, vel datiui pluralis numeri, dicitur incrementum plurale, cum vterque casus longior est nominatiuo eiusdem numeri: vt *Musa, Musarum: Ambo amborum, ambobus: Qui, quorum, quibus: Res, rerum, rebus*.

A, E, I, O, V.

Pluralis casus, si crescit protrahet A, E,
Atque O, corripies I, V, verum excipe bubus.

" *Scholion.*

A, E, O, incrementa multitudinis longa sunt, vt *Quarum, harū ambabus: Rerum, rebus: Horum, Quorū*.

Ou. de Pont. 4. *Quum tamen a turba rerum requieuerit harum.*

Vir. Aen. 2. *At Capys, & quorum melior sententia menti.*

I, & V, incrementa multitudinis, corripiuntur, vt *Quibus, tribus, montibus, lacubus, verubus*.

Vir. Ec. 5. *Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.*

Ou. Fast. 4. *Præmia de lacubus proxima musta tuis.*

Ex-

Exceptio.

Bubus, seu bobus producitur,

DE VERBORVM Incremento.

Quid sit incrementum.

SEcunda persona singularis modi indicatiui norma est, ad quam verborum incrementa diriguntur: cui si verbum sit æquale, nullum erit incrementum, vt *amat*, *amant*, quia dissyllaba sunt, sicut *Amas*, quæ norma & regula est incrementorum, nullum habent incrementum. Sin verbum longius sit vna syllaba, vnum habebit incrementum; vt *amamus*, *amatis*, quarum penultima incrementum est; nam vltima nunquam dicitur incrementum. Si duabus syllabis norma superetur, duo erunt incrementa, vt *amabaris*, *amabamus*, si tribus, tria, *vt amaueritis, amauerimus*; si denique quatuor; totidem erunt incrementa, vt *Audiebamini.*

2 In verbis deponentibus fingenda est vox actiua, ad quam verborum incrementa dirigantur.

3 Vltima syllaba, vt modo diximus, nunquam est incrementum: prima vero est, si norma ipsa sit monosyllaba, vt *das*, *fles*, *Damus*, *datis*, *dabam*, *dare*, & cetera disyllaba, vnum habent incrementum: eodem modo *Flemus fletis*, *flebam flere*, &c.

Præceptum I.

De incrementis verborum per A, & E.

A, crescens produc. Do incremento excipe primo.
E, quoque producunt verba increscentia: verum
Corripiunt E, ante R, Ternæ duo tempora prima.
In reris, vel rere datur penultima longis.
Sit breuis E, quando Ram: Rim, Ro, adiuncta sequuntur.
Corripit interdum steterunt, dederuntque poetæ.

Scholion.

A, in omni verborum incremento producitur, vt *Stabem*, *stares*, *properamus*, *docebamus*, *audiebamini*, &c.

Virg. Aen. 2. *Troiaq; nũc stares, Priamiq; arx alta maneres.*

Ou. Met. 10. *Serius, aut citius metam properamus ad vnam.*

Exce-

„ *Exceptio.*

A, primum duntaxat incrementum verbi *Do,das*, corripitur, vt *Damus,dabunt,dare*, ob quam causam pronunciamus *Circundamus, circumdabunt, circundare, Venundabo, venundare*, & cætera penultima breui.

Vir. Æn. 2. *His lacrimis vitã damus, & miserescimus vltro.*
Ou. Met. 2. *Iussit & ambita circundare littora terræ.*

E, In omibus verborum incrementis producitur, vt *Flebam, rebar, lacereris, docerem, legerunt.*

Fa. 1. *Flebat Aristæus, quod apes cum stirpe necatas*
Viderat inceptos destituisse fauos.
Æn. 6. *Sic equidem ducebam animo, rebarque, futurum.*
Mart. lib. 1. *Dædale, Lucano cum sic lacereris ab vrso.*
Quam cuperes pennas non habuisse tuas?

„ *Exceptio I.*

E ante R, breue est in primo incremento præsentis, & imperfecti tertiæ coniugationis, vt *Cognoscerem, legerem, legeremus, legeris,* vel *legere.*

Reris tamen, vel *Rere* producitur, vt *loquereris, prosequereris.*

Virg. Ecl. 4. *Incipe parue puer risu cognoscere matrem.*
Ou. Trist. 1. *Tanta ne te, fallax, cœpere obliuia nostri.*
Afflictumq; fuit tantus adire timor.
Vt neq; respiceres, nec solarere iacentem,
Dure, nec exequias prosequerere meas?
Mart. lib. 3. *Illud, laurigeros ageres cum læta triumphos,*
Hoc tibi Roma, caput cum loquereris, erat.

„ *Exceptio II.*

E, ante *Ram, Rim, Ro*, corripitur, vt *amauerã, amauerim, amauero: Feceram, fecerim, fecero.*

De ceteris personis idem esto iudicium, *Amaueris, amauerit, amauerimus, amaueritis: Fecerimus, feceritis.*

Ouid. Met. 3. *Fecerat exiguas iam sol altissimus vmbras.*

„ *Exceptio III.*

Beris, & bere semper corripitur: vt *Celebraberis*, vel *Celebrabere; mordeberis*, vel *mordebere.*

Virg. Aen. 8. *Semper honore meo, semper celebrabere donis.*

Ouid. Trist. 1. *Tu caue defendas, quamuis mordebere dictis.*

Appendix.

Poetæ in præterito indicatiui, E, litteram ante *Runt*, sillabam pro suo iure interdum corripiunt.

Virg. Aen. 3. *Obstupuisteterũtq; coma & vox faucibus hæsit.*
Hor. Epist. 1. *Dij tibi diuitias dederunt, artemque fruendi.*
Silius. lib. 8. *Terruerunt pauidos accensa Ceraunia nautas.*

De incrementis verborum per I, O, & V,

Praeceptum II.

Corripit I, crescens Verbum producitur Iui,
Præteritum, sed imus breuiatur, deme velimus,
Nolimus, simus, quæque hinc composta dabuntur.
Ri, coniunctiui possunt variare poetæ.
O, Incrementum produc, V, corripe semper.

Scholion.

I, In quouis verborum incremento corripitur, vt *Linquimus, amabimus, audiebamini.*

Virg. Aen. 3. *Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus.*

Exceptio.

Penultima præteriti in I V I, longa est, vt *Petiui*, Et primum incrementum quartæ coniugationis: vt *Ibam, ibo, ito, subimus, venimus, reperimus* præsentis temporis, (q)

Virg. Aen. 2. *Cessi, & sublato montem genitore petiui.*
Idem. Aen. 6. *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.*
Idem. Aen. 3. *Iungimus hospitio dextras, & tecta subimus.*

Hæc etiam, I, longum habent. *Nolito, nolite, nolimus, nolitis, velimus, velitis, simus, sitis,* & quæ ex ipsis componuntur, vt *possimus, adsimus, prosimus,* &c.

Ou. Met. 1. *Et documenta damus, qua simus origine nati.*
Idem. Pont. 4. *Siquis, vt in populo, qui sitis, & vnde, requirat.*

Appendix. I.

Imus in præterito penultimam corripit: vt *venimus, reperimus, comperimus.*

Virg. Aen. 1. *Non nos, aut Lybicos ferro populare penates*
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.

Appendix II.

Tempora Coniunctiui modi syllabis *Rimus*, & *Ritis*, finita,

nita, habeant ne penultimam breuem, an longam, *Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis* est: non solum recentiores, sed etiam veteres. Diomedes enim docet præteritũ breue esse, futurum verò longum. Probus vtrumque longũ esse affirmat. Quare cum versus facies, poetas optimos imitaberis, qui, *Ri*, syllabam modo corripiũt, modo producũt, prout versus postulat. Sin tibi aliquid recitandum erit: ne sermonem des auditoribus, consuetudini regionis seruies.

O, In verborum incrementis semper producitur, vt *Facitote*.

Ouid. Met. 9. *Cumque loqui poterit, matrem facitote salutes.*

V, In verborum incrementis, vbique corripitur: vt *Sumus, Possumus, Volumus.*

Hor. Epi. 1. *Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.*

Idem ibidem. *Si patriæ volumus, si nobis viuere cari.*

DE VLTIMIS SYLLABIS.

SYllabæ, quæ vltimum locum tenent, partim positione, vt *Prudens, præcox*: partim diphtongo, vt *musæ*: partim priuatis præceptionibus cognoscuntur: de quibus nunc agendum est.

„ *A in fine.*

A finita dato longis: ita, postea, deme.
Eia, quia, & casus omnes: sed protrahe sextum:
Productis Græcos casus adiunge vocandi.

„ *Scholion.*

A, Finita longa sunt: vt, *memora; contra, vltra, antea, triginta, quadraginta* &c.

Virg. Aen. 1. *Musa mihi causas memora, quo numine læso.*
Idem. Aen. 8. *Triginta capitum fœtus enixa iacebit.*

„ *Exceptio.*

Corripe *eia, ita, postea, quia.*

Item casus omnes in A: vt *Anchora vela*. Præter ablatiuum: vt *de prora*: & vocatiuos Græcos: vt *ò Aenea, ò Athla, Calcha, Palla.*

Virg. Aen. 11. *Non ita me experti Bitias, & Pandarus ingẽs.*
Idem. Aen. 3. *Anchora de prora iacitur, stant littore puppes.*
Idem. Ibid. *Quid miserum Aenea laceras? iã parce sepulto.*

E in fine.

Corripe E, sed Primæ. Quintaq; vocabula produc.
Atque fame, cete, tempe, fermeq; , fereq;
Adde doce, similemq; modum, & monosyllaba, præter
Eneliticas, ac syllabicas, necnon Malè dempto,
Ac Benè, produces aduerbia cuncta secunda.

Scholion.

E Littera finita corripiuntur : vt, *Nate, fuge, penè, penè, nempe.*

Vir. Aen. 2. *Heu fuge, nate Dea, teque his, ait eripe flamis:*
Idem. Eclog. 9. *Pane simul tecum solatia rapta, Menalca.*

Exceptio I.

Producuntur omnia primæ, & quintæ declinationis, vt *Anchisiades*, ò *Anchisiade, Calliope, re, die,* & quæ inde oriuntur, vt, *Quare, hodie,* quibus adde *Fame, cete, Tempe, fermè, ferè, ohè.*

Virg. Æn. 6. *Tros Anchisiade, facilis descensus Auerni.*
Mart. lib. 10. *Non venias, quare tam longo tempore Romam*
Virg. Æn. 6. *Obijcit ille fame rabida tria guttura pandens.*
Iuue. Sat. 6. *Nulla ferè causa est &c.*
Id. Sat. 13. *Mobilis, & varia est fermè natura malorum,*
Mart. lib. 4. *Ohe iam satis est, ohe libelle.*

Exceptio II.

Item verba imperatiui modi, numeri singularis, secundæ declinationis: vt *Vide, habe, Caue,* tamen sæpe corripitur. (s)

Hor. Ep. 1. *Vade, vide, caue, ne titubes, mandataq; frangas.*
Ouid. Met. 2. *Nate caue dum resque sinit, tua corrige vota.*
Idem. Tristi. 1. *Tu caue defendas, quamuis mordebere dictis.*

Sunt etiam longa monosyllaba vt, *me, te, se.*

Exceptis coniunctionibus encliticis, *Que, ne, ve.*

Et syllabicis adiectionib. Pte, Ce, Te, vt *Suapte, hisce, tute.*

Virg. Aen. 1. *Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri?*
Hor. Ser. 1. Sa. 4. *Hinc omnis pēdet Lucillius, hosce sequutus.*

Exceptio III.

Longa præterea sunt aduerbia à nominibus secundæ declinationis profecta: vt *placide, valdè, minimè, summè,* præter *benè,* & *malè.* (t)

Mart.

Mart.lib.9. *Excipe sollicitos placidè mea dona libellos.*
Idem.lib.2. *Nil benè cum facias, facis attamen omnia belle.*
Horat.in art. *Et malè tornatos incudi reddere versus.*

,, *Appendix.*

Adiectiua tertiæ declinationis, cum in aduerbia transeũt vltimam habent breuem, vt *Sublime, suauè, dulcè*, Itemque *facilè, difficilè*, &c.

Virg.Eclog.9. *Cantantes sublimè ferent ad sydera cycni.*
Idem. Eclog. 4. *Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti. Murice.*

,, *I, in fine.*

I, produc, breuia nisi cum quasi, Græcaque cuncta.
Iure mihi variare, tibique sibique solemus.
Corripies ibi, vbi melius dissyllabon, & cui.

,, *Scholion.*

I, Vocali terminata longa sunt, vt *Classi, fieri.*
Virg.Aen.6. *Sic fatur lacrymãs; classiq; immittit habenas.*
Mart.lib.8. *Quam vellem fieri meus libellus.*

,, *Appendix.* 1.

Corripe *Nisi, quasi*, & Græca, quæ, in I, vel Y, exeunt vt *Palladi, Daphni, moly.*

Ouid.de Pon.4. *Quid nisi Pierides, solatia frigida restant?*
Vir.Ecl.9. *Insere, Daphni, piros, carpent tua poma nepotes.*
Stat. Achil. 1. *Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum Fortè diem &c.*

,, *Exceptio* 1.1.

Mihi, tibi, sibi, vltimam habent communem.
Ibi, vbi: cui, cũ dissyllabum est, frequentius corripiuntur.

Virg.Aen.1. *Post mihi non simili pœna commissa luetis.*
Id.Ecl.10. *Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborẽ.*
Mart.lib.1. *Sed norunt, cui seruiant leones.*

,, *O, in fine.*

O, datur ambiguis, Græca, & monosyllaba longis.
Ergo pro causa, ternus, sextusque secunda.
Atque adeo, atque ideo, atque aduerbia nomine nata.
Sed cito corripies, modoque, & scio, nescio, & imo,
Et duo, sit varium serò, & coniunctio verò.

Scholion.

" O, Finita ambigua sũt, vt *Quãdo, vigilãdo, nolo, eo, queo.* Mart. lib. 1. *Nolo mihi ponas rhombũ, mullũ ve bilibrẽ. Nolo boletos, ostrea nolo: tace.*

Exceptio I.

" Excipe monosyllaba lõga. vt, *O, do, sto*: Datiuos, & ablatiuos: vt *somno, tuo,*

Item Græca, quæ habent Omega; vt *Androgeo, Atho, Clio, Alecto*, & cætera eiusdem generis; quibus accedit. Ergo pro causa. (v)

Virg. Aen. 2. *O lux Dardaniæ spes ò fidissima Teucrum.*
Idem. Ibidem. *Inuadunt vrbem somno, vinoque sepultam.*
Idem. Aen. 7. *Alecto toruam faciem, & furialia membra.*

Exceptio II.

" Itẽ aduerbia à nominibus orta, vt *subitò, meritò, multò*: quibus adduntur, *adeò, ideò.*

Hinc rursus excipiuntur *modò, quomodò, dummodò, postmodò, citò, imo*, quibus accedunt *scio, nescio, duo.*

" Aduerbium *serò*, & coniunctio *verò* vltimam habent communem.

Mart. lib. 5. *Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis.*
Tam subito coruus, qui modo cycnus eras.
Idem. lib. 5. *Non habet ergo aliud non habet, immo suum.*
Idem. lib. 5. *Alcidæ cito dij, sed tibi sero dabunt.*
Val. Flac. lib. 3. *Sin vero preces, & dicta superbus*
" *Respuerit* V, B, D, T in fine.
V, semper produc, B, D, T, corripe semper.

Scholion.

" V, Finita longa sunt, vt *manu, cornu, Panthu.*
Vir. Aen. 2. *Tela manu miseri, iactabãt irrita Teucri.*
Ouid. Metamorph. 11.
Nec mora, curuauit cornu, neruoque sagittam
Impulit. Virg. Aen. 2.
Quo res summa loco Panthu? quàm prendimus arcem?

B, D, T, litteris terminata corripiuntur: vt *Ab, Quid, Audijt.* (x)

Virg.

Virg. Aen. 8. *Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta.*
Id. Aen. 2. *Quidquid id est, timeo Danaos, & dona ferentes.*
Idem. Aen. 7. *Audijt, & Triuiæ longè lacus audijt omnis.*

„ *C, L, M, in fine.*

C, longum est, varium hic pronomen, corripe donec.
Et nec, fac, pariter malunt breuiare poetæ.
Corripe L: at produc sal, sol, nil, multaque Hebrea.
M, vorat Ecthlipsis: prisci breuiare, solebant.

„ *Scholion.*

C, Littera finita longa sunt: vt, *Sic, Hoc, Hic*, aduerbiū: (xx)
Virg. Aen. 3. *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.*
Idem. Aen. 2. *Classibus hic locus, hic acies certare solebant.*

„ *Exceptio.*

Corripe *nec*, & *donec*. *Hic*, pronomen, est anceps. *Fac* tutius corripitur.
Ouid. Trist. 1. *Parue, nec inuideo, sine me liber ibis in Vrbem.*
Vir. Aen. 6. *Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis.*
Idem. Aen. 9. *Est hic, est animus lucis contemptor, & istum.*
Ouid. *Hos fac Armenios, hæc est Danaeia Persis.*
Mart. 1. lib. 5. *Signa rarius, aut semel fac illud.*

L, Finita breuia sunt: vt, *Asdrubal, semel, vigil, Pol, simul Consul.*
Silius lib. 7. *Vertit terga citus damnatis Asdrubal ausis.*
Hor. epist. 1. *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.*

„ *Exceptio.*

Ennius: *Nec pol homo quisquam faciet impune animatus.*
Sal, Nihil, Sol longa sunt. Item plæraque peregrina vt *Nabal, Daniel, Saul.*
Statius. Sil. 4. *Non sal, oxyporum ve caseusue.*
Mart. lib. 10. *Nil aliud video, quo te credamus amicum.*
Ouid. Met. 2. *Vlterius spatium medio Sol altus habebat.*

M, Finita priscis temporibus corripiebantur, neque à sequente vocali, vt iam fit, excipiebantur: quod etiam nunc in compositis verbis cernitur. (y)
Ennius, Ann. 10. *Insignita ferè tum millia militum octo.*

Iuu.Sat.9. *Quo te circumagas? quæ prima, aut vltima ponas?*
Propert. *Cuius non hedera circumiere caput.*
Horat. *Quem laudas pluma, cocto num adest honor idem?*

„ *N, in fine.*

N, longum est Græcis pariter, pariterque Latinis.
EN, breuia quod format INIS breue: Græca secunda.
Iungimus, & quartum, si sit breuis vltima recti.
Forsitan, in, forsan, tamen, an, viden, adijce curtis.

„ *Scholion.*

N, Littera finita longa sunt: vt *Sin, Titan, Siren, salamin, Actæon*, & cætera tertiæ dcelinationis, quæ in *On*, exeunt.

Virg. Aen. 1. *Sin absumpta salus, & te pater optime Teucrū.*
Lucan. lib. 1. *Vnde venit Titan, & nox vbi sidera condit.*
Ou. Met. 3. *Actæon ego sum, Dominum cognoscite vestrum.*

Item accusatiuus Græcus nominum in AS, ES, E: vt *Aenean, Anchisen, Calliopen.*

Græcus itidem genitiuus multitudinis cuiusuis declinationis, vt *Cimmerion, epigrammaton.*

Virg. Aen. 12. *Et sauum Aenean agnouit Turnus in armis.*
Idem. Aen. 2. *Amitto Anchisen: hic me pater optime, fessum Deseris.*
Tibul. lib. 4. *Cimmerion etiam obscuras accessit ad oras.*

„ *Exceptio I.*

Corripe *An, in, forsan, forsitan, tamen, attamen; viden.*

Item *En*, syllaba finita, quæ faciunt genetiuo *Inis*: vt *nomen, lumen, flumen.*

Virg. Aen. 2. *Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras.*
Sta. Theb. 3. *Ipsa dedi viden', vt iugulo consumpserit ensem?*
Ouid. Fast. 2. *Nomen Arionium Siculas impleuerat vrbes.*

„ *Exceptio II.*

Corripiuntur etiam Græca in *On*, quæ ad secundam nostram declinationem spectant: vt *Pelion, Ilion, Erotion.*

Ouid. in Epist. *Ilion, & Tenedos, Simoisque, & Xanthus, & Ida.*
Mart. lib. 5. *Pallida nec nigras horrescat Erotion vmbras.*

Omnes denique accusandi casus, qui à nominibus vlti-

ti-

timam breuem habentibus proficiſcuntur:vt,*Scorpiō,Thetin,Ityn,Maian,Aegynan.*
Lucan.lib.1.*Scorpion incendis cauda chelaſque peruris.*
Ouid.Metamorph. 7.
Tantaque nox animi eſt, Ityn huc accerſite dixit.
Sta.Th.7. *Namque ferunt raptam patrijs Aeginā ab vndis.*

,, *R,in fine.*

R,breue,ſed longum eſt far,par, cum pignore, Lar, Nar.
Cur,fur,cum Græcis,quibus eſt genitiuus in ERIS.
Addito Iber,ſed cor melius breue,Celtiber anceps.

,, *Scholion.*

R, Littera terminata corripiunt:vt,*Amilcar,ſemper,ſemiuir,precor,Hector, turtur.*
Silius,lib.2.*At ſenior Siculis exultat Amilcar in armis.*
Virg.Aen.1.*Semper honos, nomenque tuū laudeſq; manebūt.*
Lucan.lib.8.*Inſeruiſſe manus impure ac ſemiuir audes?*
Virg.Eclog.1.*Nec gemere aerea ceſſabit turtur ab vlmo.*

,, *Exceptio.*

Producito *Cur,far,fur.Iber,lar,Nar,ver,par*.cum compoſitis,vt *Compar, diſpar,* & *impar*: Et Græca,quæ faciunt genitiuo *Eris*,vt *Aer, æther, crater.*
Hor.in art.*Cur ego ſi nequeo,ignoroque poeta ſalutor?*
Lu.li.6.*Si tibi durus Iber, aut ſi tibi terga dediſſet Cantaber.*
Hor.Ser.Sat 3.
Ludere par impar, equitare in arundine longa.
Virg.Aen.6.*Largior hic campos æther,& lumine veſtit.*

,, *Appendix.*

Cor melius corripitur.*Celtiber*,anceps eſt.(2)
Ouid.Tri.5.*Molle cor ad timidas ſic habet ille manus.*
Marti.li.10. *Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber eras.*

,, *AS,& ES,in fine.*

AS,produc,quartum Græcorum. Tertia caſum
Corripit, & rectum, ſi in adis breue patrius exit.
Es quoque produces:breuiat,ſed tertia rectum,
Cum patrij breuis eſt creſcens penultima: pes hinc.
Excipitur paries, aries, abieſque Cereſque.
Corripe,& es de ſum,& penes, & pluralia Græca.

Scholion.

AS, Syllaba finita longa sunt, vt *Aeneas, Pallas, Pallātis, fas, nefas.* (Aa)

Virg. Aen. 10. *Aeneas ignarus abest, ignarus & absit.*
Idem. ibid. *Tela, manusque sinit: hinc Pallas instat, & vrget.*
Idem. Geor. 3. *Fas, & iura sinunt.*

Exceptio.

Corripe Græca, quorum genitiuus exit in *Adis*: vt, *Arcas, Arcadis, Pallas, Palladis.*

Idem Accusatiuos plurales tertiæ declinationis nominū Græcorum, vt, *Troas, Delphinas, Heroas.*

Ouid. Met. 6. *Pallas anum simulat.*
Mart. lib. 9. *Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat.*
Virg. Eclog. 4. *Permistos heroas, & ipse videbitur illis.*

ES, syllaba terminata longa sunt: vt, *Anchises, locuples quoties, octies, decies, tricies,* &c. (Bb)

Virg. Aen. 6. *Anchises alacris palmas vtrasque tetendit.*
Mart. lib. 11. *Orbus es, & locuples, & Bruto consule natus,*
Idem. lib. 10. *Dicere te lassum quoties ego credo Quirino?*
Idem. lib. 8. *Vno nasceris octies in anno.*

Exceptio I.

Corripe nomina tertiæ declinationis, quæ crescunt in obliquis penultima breui: vt *Diues, eques, hospes, miles, pedes, itis,* &c.

Virg. Aen. 2. *Insula diues opum Priami dum regna manebāt.*
Idem. Aen. 6. *Obuius armato; seu cum pedes iret in hostem.*

Præter, *Abies, aries, Ceres, paries, pes,* cum compositis: vt *cornipes, sonipes.*

Virg. Eclog. 7. *Populus in fluuijs, abies in montibus altis.*
Lucan. lib. 8. *Non aries illis non vlla est machina belli.*
Virg. Geor. 1. *Flaua Ceres alio ne quidquam spectat Olympo.*
Ouid. Met. 6. *Nec pes ire pōt, intra quoque viscera saxum est.*
Virg. Aen. 4. *Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.*

Exceptio II.

Es, à verbo *Sum*, etiam breue est, & ex eo composita: vt, *potes, ades*: item *penes*; Græca neutra in *es*, vt *Cacoethes*, præterea nominandi, vocandique casus Græcorum: vt

Arca-

Arcades, Troes, Damones, Rhetores, Amazones.
Vir. Aen. 2. *Quisquis es, amissos hinc iam obliuiscere Graios.*
Mart. lib. 6. *Tu potes & patriae miles & esse decus.*
Hor. in art. *Quem penes arbitriũ est, & ius et norma loquẽdi.*
Virg. Eclog. 7. *Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo.*
Idem. Aen. 1. *Egressi optata potiuntur Troes arena.*
Iuue. Sat. 1. *Tenet insanabile multos*
Scribendi cacoethes: & aegro in corde senescit:

Is vel, Ys in fine.

Corripies Is, & Ys: plurales excipe casus.
Glis sis, vis, verbum ac nomen nolisque, velisque.
Audis cum socijs, quorum, & genitiuus in INIS.
ENTIS vt aut ITIS longum producito semper.

Scholion.

IS, vel Ys finita corripiuntur, vt *Apis, inquis, ais, Thetis, Typhis, Itys, Iris.*
Ouid. Met. 13. *Non apis inde tulit collectos sedula flores:*
Stat. Achil. 1. *Iam dudum tacito lustrat Thetis omnia visu.*
Virg. Ecl. 4. *Alter erit tũ Typhis, & altera quae vehat Argo Delectos heroas.*

Exceptio I.

Excipe casus omnes multitudinis: vt *viris, armis, musis, nobis, vobis*: *Queis*, pro quibus, *omneis, verbis.*

Item *Glis, vis*, nomen, & verbum. *Velis, Sis* cum compositis, & *quamuis, velis, adsis.*

Et secundas personas numeri singularis, modi indicatiui, quartae coniugationis, vt *Audis, nescis, sentis.*
Virg. Aen. 1. *Praesentemque viris intentant omnia mortem.*
Idem. Ibid. *Queis ante ora patrum Troiae sub moenib. altis.*
Idem. ibid. *Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.*
Mart. lib. 9. *Iam satis est non vis Afer auere, vale.*
Idem. lib. 1. *Nescis, heu nescis dominae fastidia Romae.*

Exceptio II.

Longa praeterea sunt, quorum genitiuus exit in *Inis, Entis, Itis* penultima longa, vt *Salamis, Simois, Samnis, lis.*
Ouid. in Epist. 9. *Hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus.*
Hor. in art. *Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est.*

Os,

Os, in fine.

Vult, Os produci: compos breuiatur, & impos.
Osq. ossis, Græcorum & neutra & cuncta secundæ.
Addicta Ausonidum, Græcus genitiuus, & omnis.

Scholion,

OS, finita longa sunt, vt *Os, oris, Erectos, Tros, Minos. Heros, Athos, Androgeos*, & cetera, quæ per Omega scribuntur..

Ouid. Met. 1. *Os homini sublime dedit.*
Virg. Aen. 6. *Tros Anchisiade, facilis descensus Auerni.*
Idem. Aen. 2. *Androgeos offert nobis socia agmina credens.*

Exceptio.

Corripe, *Os Ossis: compos, & impos*, & Græca neutra; vt *Chaos, Melos, Argos.*

Lucr. lib. 3. *Exos & exanguis tumidos perfluctuat artus.*
Ouid...... *voti postmodo compos erit.*
Vir. Aen. 6. *Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte silentia latè.*

2 Item, *Os*, finita, quæ ad secundam Latinam declinationem transeunt: vt; *Tyros, Arctos, Ilios.*

Lucan. lib. 3. *Et Tyros instabilis pretiosaque murice Sidon.*
Mart. lib. 9. *Nescia nec nostri nominis Arctos erat.*

3 Omnes denique interrogandi casus, à quibuscumque rectis proficiscantur; vt *Arcados, Pallados, Typhœos, Tethyos, Tereos.*

Oui Met. 1. *Arcados hinc sedes, & inhospita tecta Tyranni.*
Ou. Fast. 4. *Alta iacet vasti super ora Typhoeos Aetna.*
Luc. l. 1. *Tethyos vnda vagæ lunaribus æstuet horis.*

Vs, in fine.

Vs breue ponatur, produc monosyllaba quæque.
Casibus increscunt longis, & nomina Quartæ:
Excepto recto & quinto, & quibus exit in Vntis.
Patrius, & conflata à pus, contractaque Græca.
In recto, ac patrio, & venerandum nomen IESVS.

Scholion.

VS, syllaba terminata breuia, sunt; vt *Littus, intus, sensibus*, & nominãdi, vocandique casus singulares quartæ declinationis: vt, *Domus, manus.*

Virg.

Virg. Æn. 3. *Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.*
Idē. Aen. 2. *Hic Dolopū manus, hic seuus tendebat Achilles.*

Exceptio I.

Excipe monosyllaba, vt *Plus, rus, thus.*
Lucan. lib. 1. *Plus illa vobis acie, quàm creditis, actum est.*
2 Et quæ crescunt in obliquis, penultima longa: vt, *Salus, tellus, palus*, Et nomina quartæ declinationis, præter casus ante dictos; vt *aditus, vultus.*
Ouid. Met. 2. *Mox etiam fruges, tellus inarata ferebat.*
Idem. Met. 11. *Iuncta palus huic est densis obsessa salictis.*
Mart. lib. 8. *Hos aditus vrbem Martis habere decet.*
3 *Palus* tamen ab Horatio in Arte poet. semel corripitur.
Regis opus sterilisque diu palus aptaque remis.

Exceptio II.

Denique Græca nomina, quorum genitiuus exit in *Vntis*, vt *Opus, Amathus*. Et quę ex ποῦς ποδὸς componuntur: vt *Tripus, Melampus*: quæ que ex *Oos* contrahuntur, vt *Panthus*, ex Panthoos: Item genitiuus in *Vs*, à fœmininis in O, *Manto, Mantus: Clio, Clius*, &c. quæ item ex *Oos* contrahuntur. Virg. Æn. 10.
Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atque Cythera.
Idem Æn. 2. *Panthus Otriades arcis, Phœbiq; sacerdos.*
Idem Æn. 10. *Fatidicæ Mantus & Tusci filius amnis.*

Appendix.

Huc etiam IESVS, sacrosanctum Domini atque Redemptoris nostri nomen spectat.
2 *Vs*, finita non contracta, ab O, syllaba profecta corripiuntur; vt *Pamphagus, Oribasus, Polypus*: quorum; vltimā Aeoles, per *Os*, scribuunt πόλυπος, Quare Latinis per *Vs*, effertur, vltima breui.
Ouid. Met. 3. *Pamphagus, & Dorceus; & Oribasus, Arcades omnes.* Horat. in Epod.
Polypus an grauis hirsutis cubet hircus in alis.

DE SYLLABA COMMVNI.

Communis syllaba, vt supra diximus, est quæ modò breuis, modò longa apud Poetas reperitur.

ET diphthõgus, & vocalis longa communes fiunt, cum vocalem diuersæ dictionis præcedunt.

B R E V E S.

Virg. Aen. 3. *Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno.*
Idem. Aen. 5. *Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto.*
Idem. Ecl. 8. *Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingũt?*
Propert. lib. 2. *Tu quoque, ô Eurition vino Centaure peristi.*

LONGAE.

Virg. Georg. 1. *Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.*
Idem Eclog. 6. *Stant & iuniperi & castaneæ hirsutæ.*
Idem. Aen. 4. *Lamentis, gemituque & fœmineo vlulatu.*
Idem. Eclo. 3. *Et succus pecori & lac subducitur agnis.*

Breues & longæ in eodem versu.

Virg. Geor. 1. *Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.*
Idem. ibid. *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.*

Praeceptum II.

MOnosyllaba breuia interdum à Poetis more Græcorum producuntur.

Virg. Aen. 3. *Liminaque laurusque Dei, totusque moueri.*
Iuue. Sat. 6. *En animam & mẽtem, cũ qua dij nocte loquãtur.*

Praeceptum III.

SYllaba breuis post quatuor primos pedes, maximè secũdum, & tertium relicta nonnunquam à poetis producitur, quam Grãmatici *Cæsuram* vocãt, veteres *Incisum*.

Syllaba breuis post primum pedem producta.

Virg. Aen. 4. *Pectoribus inhians spirantia consulit exta.*
Idem. Aen. 11. *Oratis? equidem & viuis concedere vellem.*
Iuuen. Sat. 6. *Quis nescit? aut quis non vidit vulnera Pali?*
Mart. lib. 6. *Meque sinus omnis, me nemus omnis habet.*

Post secundum.

Virg. Aen. 2. *Nostrorũ obruimur, oriturque miserrima cædes.*
Idem. Aen. 5. *Emicat Euryalus, & munere victor amici.*
Id. Aen. 10. *Nã tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis.*
Mart. l. 14. *Det tunicam: diues ego te præcingere possum.*

Post tertium.

Virg. Aen. 5. *Ostentans artem pariter, arcumque sonantem.*

Idem.

Idem. Aen. 3. *Dona dehinc auro grauia, sectoque elephanto,*
Idem. Aen. 12. *Congredior, fer sacra pater, & concipe fœdus.*
St. Ach. 2. *Nequa det indignos Thetydi captiua nepotes.*

„ *Post quartum.*

Aen. 10. *Graius homo infectos linquens profugus Hymenæos.*
Virg. Ecl. 6. *Ille latus niueum molli fultus Hyacintho.*
Id. Georg. 2. *Muneribus tibi pampineo grauidus Autumno.*

„ *Admonitio.*

His tribus præceptionibus non in suis componendis, sed metiendis veterũ poetarũ carminibus vtentur tirones.

„ *Pracept. VI.*

VOcalis breuis ante mutam, & liquidam eiusdem dictionis, vt supra dictum est, communis est in carmine, quamuis in soluta oratione sẽper corripiatur, vt *Atlas, Volucris, Cleopatra. Patroclus, Lugubris, Funebris.*

Aen. 4, *Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,*
Aen. 7. *Assuetæ ripis volucres, & fluminis alueo.*

„ *Appendix.*

Syllaba natura longa nunquam corripitur, etiam si muta cum liquida sequatur, vt *Aratrum, Volutabrum, Inuolucrum, salubris,* & reliqua generis eiusdem.

„ *Pracep. V.*

VLtima syllaba versus communis est, siquidem breuis pro longa ponitur.

Virg. Aen. 1. *Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.*
Ibid. *Nate patris summi qui tela Typhoea temnis.*

Sextus enim pes spondeus est, qui ex duabus longis constat. Aut contra longa pro breui.

Mart. lib. 9. *Nobis non licet esse tam disertis.*
Qui musas colimus seueriores.

Vltimus namque pes Choreus est, qui ex longa constat, & breui.

DE NECESSITATE METRICA.

LEx, necessitasque metri cogit poetas, breues aliquãdo producere, velut cum sunt tres breues continuæ in carmine Heroico: quod in *Italia, Priamide, Arabia,* alijsq; id genus vsu venit.

Aen. 5.

Æn.3. *Ibitis Italiam portusque intrare licebit,*
Aen.6. *Atque hic Priamidem laniatum corpore toto.*
Proper.lib.2. *Et domus intacta te tremit Arabia.*

Aut contra longas corripere, vt cum breuis inter duas longas est. Iuuen.Sat. 2.
Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem Stoicidæ.

Stoicidæ, dixit penultima breui, necessitate metri coactus. neque enim hexametrum carmen Creticum recipit, qui ex longa, breui, & longa constat. (Cc)

De licentia Poetica.

POetæ, quibus semper *potestas* fuit, vt ait Horatius, *quidlibet audendi*, nulla coacti necessitate syllabis interdum pro suo iure abutuntur. *Tulerunt* enim, *Dederunt*, & nonnulla alia eiusdem generis, penultima correpta efferunt. (Dd)

Virg.Ecl.3. *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.*
Hor.ep.1. *Dy tibi diuitias dederunt, artemq; fruendi.*

DE PEDIBVS.

QVoniam de syllabis tum breuibus, tum longis, tum communibus dictum est; superest, vt & de pedibus, qui ex ipsis syllabis, & de versu, qui ex pedibus constat, breuiter dicamus.

Quid sit pes.

PEs est pars versus, certo syllabarum numero atque ordine definita.

Pedes duarum syllabarum.

Spondeus constat ex duabus syllabis longis: *vt Possunt. Omnes.*

Pirrhychius ex duabus breuibus, vt *Furor, Ruit.*

Choreus, seu, vt alii vocant, Trochæus ex longa, & breui. vt *Arma, vincor.*

Iambus ex breui & longa, vt *Viros, Rogas.*

Præcipui pedes trium syllabarum.

Molossus ex tribus longis: vt, *Aeneas, Contendunt.*

Trochæus, siue Tribrachys ex tribus breuibus, vt *Facere: Tumidus.*

Dactylus ex longa, & duabus breuibus: vt, *Corpora, Traximus.*

Anapæstus ex duabus breuibus,& longa,vt *Animos,Capiunt* .

Scholion.

» Ceteri pedes ex his compositi sunt , & oratorum magis proprij,quàm poetarum . Quoniam tamen ab auctore sũt positi,visum est in hac editione reponere . Porrò prudens magister viderit,an sint initio tironibus proponendi .

Minus præcipui pedes trium syllabarum .

Bacchius ex breui , & duabus longis : vt *Dolores , Parabant*.

Antibacchius ex duabus longis,& breui:vt *Audiuisse, Maturus* .

Creticus, seu amphimacer, ex longa, breui, & longa,vt *Maximos,audiunt*.

Amphybrachys siue Scolius ex breui,& longa,& breui: vt *Cadebat, Poema*.

Pedes quatuor syllabarum ex superioribus compositi .

Dispondeus constat ex duobus spondeis : vt,*Oratores*.

Proceleusmaticus ex duobus Pirrhychijs:vt *Abiete*.

Dichoreus ex duobus choreis,vt *Dimicare*.

Diiambus ex duobus Iambis; vt *Propinquitas*.

Choriambus ex Choreo, & Iambo, vt *Nobilitas*.

Antipęstus,vel Antipastus ex Iambo, & Choreo, vt *Recusare* .

Ionicus à maiore,è spondeo , & Pirrhychio , vt *Calcaribus, Cantabimus*.

Ionicus à minore, ex Pirrhychio,& Spondeo: vt *Diomedes, Lacedæmon*.

» *Pæones.*

Pæones quatuor sunt , omnes ex tribus breuibus , & vna longa constant , hac lege , vt primus primam habeat longam , secundus secundam , tertius tertiam , quartus quartam .

Pæon, I. ex choreo , & Pirrhychio , vt *Aspicite , Temporibus* .

Pæo i. II. Ex Iambo , & Pirrychio , vt *Potentia , Docebimus*.

M Pæon.

Pæon III. Ex Pyrrhychio, & Choreo, vt *Animatus Moriamur*.

Pæon IV. Ex Pyrrhychio, & Iambo: vt, *Calamitas, Obierant*.

Scholion.

" M. Tullius, & alij nonnulli duos tantum Pæones videntur agnoſcere, quorum prior primam habet longam, poſterior vltimam.

" *Epitriti, ſeu Hypij totidem ſunt, ſed ſuperioribus contrarij.*

Epitritus I. ex Iambo, & Spondeo: vt, *Repentino, Repugnarunt*.

Epitritus II. ex Choreo, & Spondeo: vt, *Conditores, Cōprobarunt*.

Epitritus III. ex ſpondeo, & Iābo, vt, *Diſcordia, Clamaueras*.

Epitritus IV. ex Spondeo, & Choreo: vt *Fortunatus, Pugnabamus*.

" *Pedes quinque ſyllabarum.*

Quinque ſyllabarum pedes inuſitati ſunt, præter Dochimum, oratoriç compoſitioni maximè appoſitum. Conſtat ex Iambo, & Cretico: vt, *Reipublica, Perhorreſcerent*.

DE VERSV.

VErſus eſt oratio certo genere, numero atque ordine pedum alligata.

Carmen Hexametrum ſiue Heroicum.

Hexametrum carmen cōſtat ſex pedibus, quorum quintus dactylus eſt, ſextus ſpondeus, reliqui dactyli, vel ſpōdei.
Aen. 2. *Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos.*

Appendix.

" Quintus pes nonnunquam ſpondeus eſt: vnde verſus Spondaicus appellatur; quo vel rei alicuius grauitas, & amplitudo, vel ingens mœror, animique angor; vel aliud declaratur.

Virg. Ecl. 5. *Cara Deū ſuboles magnum Iouis incrementum.*
Aen. 2. *Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit.*

" *Pentametrum carmen.*

Pentametrum carmen, quod ferè hexametrum comitatur,

tur, quinque pedes habet, quorum duo primi dactyli: vel spondei pro cuiusque arbitrio sunt, adiuncta syllaba longa, quæ cæsura, vel semipes dicitur: ceteri duo perpetuò sunt dactyli, quibus semipes itidem adiungitur, vt ex vtroque semepede quintus pes fiat, vel tertio loco est spondeus, qui alterius initio constat: deinde duo Anapesti.

Ouid. de Pont. 3. *Et subito casu quæ valuere, ruunt.*

" *Appendix.*

Posterior ratio mentiendi pentamentrum Quintiliano probatur li. 9. c. 4. Et *quidem*, inquit, *optimè est sibi iunctus Anapestus, vt qui sit Pentamentri finis.* Ibidem: *Est quoddã in ipsa diuisione verborum latens tempus*: vt *in Pentametri medio Spondeo, qui nisi alterius verbi fine, alterius initio constet, versum non efficit.*

" *Senarius Iambicus, siue Trimeter Iambicus.*

" *Acatalectus.*

Senarius Iambicus cum purus est, & integer, omnibus in locis Iambos habet.

Catul. *Phaselus ille, quem videtis hospites,*
Ait fuisse nauium celerrimus.

Hor. Epod. 2. *Beatus ille qui procul negotijs.*

Omnes sex pedes iambi sunt, totidem enim pedes Senarius admittit, vnde & nomen inuenit; verũ *Tardior vt paulò grauiorq; veniret ad aures*, vt Horatius ait, primo, tertio, & quinto loco Spondeum, Dactylum, & Anapæstum recepit. Omnibus etiam locis, præterquam sexto, Tribachum potest recipere.

Ho. Epo. 1. *Pauidumque leporem, & aduenam laqueo gruem.*

" *Dimetrum Iambicum Acatalectum.*

Dimetrum Iambicum quatuor recipit pedes: secundo & quarto loco Iambos: primo, & tertio Iambum, spondeum, dactylum, anapæstum; potest etiam in omnibus, præter quartum, Tribrachym admittere.

Horat. Epod. 1. *Vt prisca gens mortalium.*

Idem. *Videre properantes domum.*

" *Scazon, siue Choliambus:*

Scazon, semper quinto loco habet Iambum, sexto ve-

ro spondeum: ceteris omnibus cum Senario Iambico consentit.

Ctaull. *Idemque longe plurimos facit versus.*

Mart. lib. 5. *Extemporalis factus est meus Rhetor.*

Calphurnium non scripsit, & salutauit.

Scholion.

Metimur omnia genera carminum pedibus duplicatis præter dactylicum, hoc est, Hexametrum & Pentametrum, quod ex ipsis nominibus facilè intelligitur. Trimetra enim appellantur, quod tribus metris siue mensuris constent, cum tamen senos habeant pedes, vnde & Senarii dicuntur. Acatalecta dicuntur carmina integra omnibusque suis numeris absoluta. Catalectica; quibus deest vna syllaba, Hypercatalectica, quæ syllaba vna aut duabus redundant. Brachycatalectica, quibus pes vnus deest. Legitimus senarius Iambicus sexto loco Iambum habet, tamquam custodem defensoremque Iambici ordinis: ex quo cum fuerit deturbatus, atque in eius locum substitutus Spondæus, Scazon, id est, Claudicans, & Choliambus, hoc est, Claudus Iambus appellatur, Claudicare enim hi versus putantur.

Anapæsticum Dimetrum Acatalectum.

Anapæsticum carmen, quò frequenter in choris vtitur Seneca, constat quatuor pedibus, qui ferè sunt dactyli, vel spondei, permistis anapæstis: ita tamen, vt secundo, & quarto loco absit dactylus.

Senec. Herc. Furen. *Lugeat æther magnusque parens.*

Aetheris alti, tellusque ferax.

Et vaga ponti mobilis vnda.

Appendix.

Secundus pes dictionem terminat, qui frequẽtissimè est spondeus.

Glyconium.

Glyconium carmen constat spondeo, & duobus dactylis, quo Seneca interdum choros scribit.

Sene-

Seneca Thyest. *Tandem regia nobilis.*
Antiqui genus Inachi
Fratrum composuit minas.

„ *Asclepiadeum.*

Asclepiadeum carmen constat spondeo, duobus choriãbis,& pirrhychio, vel spondeo, dactylo, & syllaba longa: deinde duobus dactylis.

Hor. Cam. 1. *Mæcenas atauis edite regibus.*

„ *Phaleucium, siue Hendecasyllabum.*

Phaleucium carmen quinque pedibus constat, spondeo dactylo, deinde tribus choreis.

Mart. lib. 1. *Commendo tibi Quinctiane nostros.*
Nostros dicere si tamen libellos
Possum, quos recitat tuus Poeta.

Apud Catullum in prima sede etiam Choreo, & Iambo locus est.
Arida modo pumice expolitum.
Meas esse aliquid putare nugas.

„ *Appendix,*

Versibus hendecasyllabis (sic enim à numero syllabarum etiam appellantur) plurimum vtuntur, qui epigrammata scribunt.

„ *Sapphicum carmen.*

Versus Sapphicus quinque pedes hoc ordine admittit, choreum, spondeum, dactylum, deinde duos choreos: tertio cuique carmini fere nectitur Adonius, qui ex dactylo,& spondeo constat.

Hor. Carm. 1. *Integer vitæ scelerisque purus.*
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida sagitis,
Fusce, pharetra.
Siue per Syrteis iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

„ *Appendix.*

Glyconium carmen apud Hor. od. 15. lib. 1. Choreum

habet initio. *Ignis Iliacas domos.* Phaleucij pedib⁹ abutitur Catullus: primæ enim sedi tum iambum, tum Choreum attribuit, à quibus ceteri fere abstinent. (Ec)

DE FIGVRIS QVÆ SPECTANTVR in carminum dimensione.

VErsus metimur pedibus, quibus metiendis non parũ prodest syllaba communis, Necessitatis metricæ, Licentiæ poeticæ, Figurarumque cognitio.

„ *Figura.*

Syllaba de gemina facta vna, Synæresis esto.
Distrahit in geminam huic aduersa, Diæresis vnam.
M, ecthlipsis, vocalem haurit Synalœpha priorem.
Ectasis extendet, rapiet sed Systola vocem.

„ *Scholion. Synæresis.*

SYnæresis, quæ & *Episynalœphe*, & *Synecphonesis* appellatur, est syllaba vna ex duabus facta, quod fit, quum duæ vocales in vnam contrahuntur; vt *Aluearia; eadem, alueo, eodem, eosdem, aureis, denarijs, Phaton* pro Phaeton.
Virg. Geor. 4. *Seu lento fuerint aluearia vimine texta.*
Idem. Aen. 10. *Vna eademq; via sanguis, animusq; sequuntur.*
E, & A, in vnam syllabam contrahuntur.
Idem. Aen. 7. *Assueta ripis volucres, & fluminis alueo.*
Idem. Aen. 12. *Vno eodemque tulit partu, &c.*
E, O, vocales in vnam coalescunt.
Idem. Aen. 1. *Atria dependent lychni laquearibus aureis.*
Idem. Aen. 12. *Pectora nec misero clypei mora profuit aurei.*
E, & I, in vnam syllabam coeunt.
Mart. lib. 7. *Denarijs tribus inuitas: & mane togatum.*
Duplex II. in vnum contractum est.
2 Idem accidit genitiuis *Oilei, Achillei, Vlissei*, & datiuis, ablatiuisque *Tereo, Typhœo*, & his similibus, interdum & accusatiuo *Typhœa*.
Aen. 1. *Vnius ob noxam, & furiat Aiacis Oilei.*
Aen. 3. *Littora Achemenides comes infelicis Vlyssei.*
Aen. 9. *Inarime Iouis imperijs imposta Typhao.*

Ou.

Ou.Met.6. *Degeneras, scelus, & pietas in coniuge Tereo.*
Idem.Met.3. *Nec quo centimanum deiecerat igne Typhœa.*
In primis E, & I, in secundis E, & O, & in vltimo E, & A, in vnam syllabam coalescunt.

Scholion.

2 Sæpè I, & V, vocales, vt quidam volunt, in consonantes mutantur.
Aen. 11. *Aduersi longa transuerberat abiete pectus.*
Aen. 12. *Mœnia, quinque imos pulsabant ariete muros.*
Aen. 9. *Abietibus iuuenes patrijs, & montibus æquor.*
Aen. 2. *Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos.*
Georg. 1. *Fluuiorum rex Eridanus.*
Sil. l. 3. *Arietat in primos, obicitque immania membra.*
In his, horumque similibus locis I, vocalis fit consonans, itaque *abiete, ariete,* dactyli sunt.
Geor. 1. *Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferri.*
Aen. 5. *Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.*
In his, V, vocalis in consonantem migrat: quare *Tenuia* dactylus est, item *Genua la.* Hæc est Probi sententia. Sunt, qui existiment, esse proceleusmaticum. Neque mirari debes vocales mutati in consonantes: cum eædem litteræ consonantes interdum in vocales vertantur, vt *dissoluo* quadrisyllabum, pro *dissoluo* trisyllabo, & cetera, quæ per Diæresim in duas syllabas diuiduntur; vt deinceps docebimus.

3 In superiorum contractione delectu & auctoritate opus est, at horum, *Cui, huic, dij, dijs, ij ijdem,* omnibus vti licet.
Virgil. *Cuique loci leges dedimus connubia nostra.*
Idem. *Huic à stirpe pedes temo pretensus in octo*
Iuuen. *Quis nunc diligitur nisi conscius & cui feruens.*
Manil. 4. *Sic erit & sedes fugienda petenda cuique.*
Ouid. *In causa facili cuiuis licet esse diserto.*
Stat. 1. Syl. *Lætus huic dono videas dare tura nepotes.*
Lucret. *Scilicet & fluuius qui non est, maximus ei est.*
Qui non ante aliquem maiorem vidit.

4 Item aduerbiorum *Deinde, dein, deinceps, dehinc,* & verbi *Deest, deeras, deerant, deerit, deerunt: deesse,* & eorum

quæ ex *Semi*componuntur, vt *Semiuiuus, Semihomo*.
Ou. Met. 11. *Iuncta palus huic est densis obsessa salictis*.
Luc. lib. 1. *Sed venient maiora metu: dij vota secundent*.
Idem. lib. 4. *Iidem, cum fortes animos præcepta subissent*.
Stat. lib. 1. *Dehinc sociare choros, castisq; accedere sacris*.
Martial. 8. *Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones*.
Aen. 5. *Semihominis Caci, facies quem dira tegebat*.

Huc etiam *Anteambulo, antehac, anteit*, & si qua præterea sunt.
Mart. lib. 2. *Sum comes ipse tuus tumidiq; anteambulo regis*.
Luc. lib. 6. *Plurimaq; humanis ante hac incognita mensis*.
Aen. 12. *Qui candore niues anteirent, cursibus auras*.

Diæresis, siue Dialysis.

„ Diæresis est, cum syllaba vna in duas diuiditur, vt *Aurai*, trisyllabum, pro *Aura* dissyllabo, *sylua, euoluam euoluisse, dissoluo, persoluendus, suauis, heu, iam*, apud Comicos dissyllabum.
Vir. Aen. 6. *Aethereum sensum, atq; aurai simplicis ignem*.
Ho. Ep. 13. *Niuesq; deducunt Iouem nunc mare nunc syluæ*.
Catul. Ort. *Condita quin verè pectoris euoluam*.
Ou. in Epist. *Debuerant fusos euoluisse suos*.
Catul. de coma. *Pristina vota nouo munere dissoluo*.

Synalœphe.

„ Synalœphe est cũ vocalis, aut diphthongus præcedentis dictionis à sequẽti excipitur, & quodam modo absorbetur.
Aen. 9. *Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur*.
Aen. 2. *Conticuere omnes intentique ora tenebant*.
Aen. 10. *Dardanidæ, e muris, spes addita suscitat iras*.
Aen. 6. *Illa autem paribus, quas fulgere cernis in armis*.

Exceptio.

„ O, & *Heu*, sequente vocali, aut diphthongo, integra manet.
Aen. 10. *O pater, o hominum, diuumq; æterna potestas*.
Stat. Theb. 5. *Heu vbi syderei vultus, &c.*

Appendix.

„ Interdum nec vocalis, nec diphthongus, vt supra diximus, a sequente vocali excipitur.

Virg.

Virg.Georg.1. *Glauco,& Panopeæ, & Inoo Melicertæ.*
Virg.Aen.1.*Posthabita coluisse Samo. hic illius arma.*
Id quod multò rarius accidit, si vocalis breuis sit.
Virg. Aen. 1. *Et vera incessu patuit dea, ille vbi matrem.*

„ *Appendix.*

Synalœphe non solum in eodem carmine, sed in diuersis locum habet.

Vir.Geo.3.*Et spumas miscent argenti, viuaq; sulphura,*
Ideasque pices.
Idem.Geor.2.*Inseritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida,*
Et steriles platani malos gessere valentes.
Aen.1.*Ignari, hominumq; locorumq; Erramus.*

In his, atq; similibus locis vltima vocalis præcedentis versus excipitur, atque absorbetur à prima sequentis.

„ *Echthlipsis.*

Ecthlipsis est, cum M, littera simul cum vocali eliditur propiter sequentem vocalem.

Virg.Aen.2.*Italiam, Italiam, primus conclamat Achates,*

„ *Appendix.*

Prisci M, litteram cum vocali correpta seruabant, vt supra, docuimus.

Enn. Ann. 10. *Insignita ferè tum millia militum octo.*

Ecthlipsis etiam in diuersis carminibus locum habet.

Virg. Æn. 7. *Iamq; iter emensi turres, ac tecta Latinorum*
Ardua cernebant iuuenes, muroque subibant.
Geor. 1. *Aut dulcis musti Vulcani decoquit humorem.*
Aut folijs vndam tepidi despumat aheni.

„ *Appendix II.*

Prisci Poetæ, S. litteram passim elidebant: quod si deinde concurrerent vocales, prior à posteriore per Synalœpham excipiebatur.

Enn.Ann. 7. *Doctus fidelis suauis homo, facundus, suoque*
Contentus atque beatus scitus, facunda loquens in
Tempore, commodus, & verborum vir paucorum.

Doctu'fi, Cundu'su, dactyli sunt. In secundo versu ex primo verbo exteritur S, deinde fit Synalœpha sic, *Content, atquebe.* Rarissimè apud posterios videas hanc literã extritã,

Cic.

Ciç.in Arat. *Delphinus iacet haud nimio lustratus nitore.*
Alcinonus, *Longè erit à primo, quisquis secundus erit.*
Lustratus, & *quisquis* amittunt S. (Ff)

» *Systole.*

Systole est, cum syllaba natura longa corripitur. (Gg)
Virg. Aen. 6. *Illi autem paribus quos fulgere cernis in armis.*
Idem Aen. 8. *Feruere Leucaten, auroque effulgere fluctus.*
Silius, lib. 8. *Terruerunt pauidos accensa Ceraunia nautas.*
2 Aut positione longa, sed altera consonante extrita: vt *Obicis*, pro Obijcis: *Abici*, pro Abijci.
Lucan. lib. 8. *Cur obicis Magno tumulũ, manesque vagantes.*
Ouid. de Pon. 2. *Turpe putas abici quod sim miserãdus amicis*

» *Ectasis, siue Diastole.*

ECtasis est, cum aut syllaba natura breuis simpliciter producitur.
Virg. Aen. 1. *Italiam fato profugus, Lauinaq; venit Littora.*
2 Aut cum eadem consonans geminatur, vt *Relligio, relliquiæ, repperit, rettulit, repulit.* (*Hh*)
Virg. Aen. 1. *Relligione patrum multos seruata per annos.*
Idem. Aen. 1. *Troas relliquias Danaum, atque immittis Achillei.*
Idẽ. Epigramm. *Vir bonus, & sapiẽs qualẽ vix repperit vnũ.*
Hor. in Epi. 2. *Rettulit acceptos, regale numisma Philippos.*
Lucan. lib. 1. *Reppulit à Lybicis immensum Syrtibus æquor.*

» *Scholion.*

Si quis plura desiderat, legat Commentarios.

DE CAESVRA.

SI, pedes, maximè versus Heroici, è singulis verbis constent, ineptum & insulsum fit carmen: vt *Aurea scribis carmina Iuli maxime vatum.*

Contra, si verba concidantur, ita vt mutuò amplexu pedes alij ex alijs pendeant, pulcherrimus efficitur versus.
Vir. Aen. 1. *Semper honos, nomenque tuũ laudesque manebũt.*
Idem. ibid. *Non ignara mali miseris succurrere disco.*
Idem. ibid. *Iustitiaque dedit gentes frenare superbas.*
Id. Aen. 6. *Aere ciere viros, Martẽque accendere cantu.*
Syllaba, quæ ex dictione cæditur, ac post quemuis pedem

dem relinquitur, vulgo *Cæsura* dicitur, cuius tãta vis est, vt, eius beneficio breuis syllaba producatur: est enim quoddam in ipsa diuisione verborum latens tempus. nam dum moramur, atque ad alia transimus, interuallum vnum, spatiumque lucratur.

Virg. Aen. 4. *Pectoribus inhians spirantia consulit exta.*
Virg. Aen. 3. *Emicat Euryalus, & munere victor amici.*
Virg. Aen. 5. *Vna, eademque via sanguis, animusq; sequũtur,*
Id. Aen. 10. *Graius homo infectos linquẽs profugus hymenæos.*

Vides, vt syllabæ natura breues post primum, secũdum, tertium, & quartum pedem producantur. id beneficium cæsuræ acceptum referunt.

Anapæstici versus optimi putantur, si pedes singuli è singulis fiant verbis:

Seneca. Thyest. *Tertia misit buccina signum.*
Idem. ibid. *Nondum sera nuncius hora.*
Idem. ibid. *Curuo breuius limite currens.*

Qui tamen perpauci sunt, si cum alijs conferantur.

Idem. ibid. *Pectora longis hebetata malis.*
Iam sollicitas ponite curas:
Fugiat mœror, fugiatque pauor.

Ne te illud prætereat, Anapæsticum versum nonnunquã pedem anapæstum habere nullum; id quod primi duo versiculi apertè docent.

De Penthemimeri: Hepthemimeri, &c.

VEteres Grammatici versum Heroicum in quatuor partes secant, quas sectiones, siue cęsuras appellant Penthemimerim, Trochaicam, Hephtemimerim, Bucolicam, siue Tetrapodiam.

2 Penthemimeris, Latinè Semiquinaria, constat ex duobus pedibus, & syllaba, quæ claudat.

Virg. Aen. 1. *Arma, virumque cano.*

3 Trochaica post duos pedes habet duas syllabas longam, & breuem, siue Trochæum, qui dictionem terminet: vt Virg. Ecl. 4. *Non omnes arbusta.* Idem. Aen. 1. *Infandum Regina.*

4 Hephthemimeris, Latinè Semiseptenaria, cõtinet tres pe-

pedes, & syllabam, quæ dictionem finiat.
Virg. Aen. 1. *Multa super Priamo rogitans.*

5 Bucolica, seu Tetrapodia fit, si semiseptenariæ duas breues adiunxeris; vt Virg. Aen. 1. *Talibus Ilioneus, cuncti simul.* Et ibidem. *Multa super Priamo rogitans super.* Et Idem ibidem; *Terram inter fluctus aperit: furit.* Hanc tamē postremā aiunt propriā esse Bucolici carminis, qua Theocritus plurimum est vsus.

Appendix.

Versus, qui Heroico nomine digni censentur, modo cæsuram vnam habent: vt, *Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce. Pāditur interea domus omnipotentis olympi. Turnus vt infractos aduerso Marte Latinos.*

Omnes solam Semiquinariam habent. Modo duas: vt *Non omnes arbusta iuuant, humilesque myricæ.*
Infandum Regina iubes renouare dolorem.
Excutiens ceruice toros; fixumque latronis, &c.

Omnes Trochaica & semiseptenaria constant. Modo tres: vt. *Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant.*
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.
Terram inter fluctus aperit, furit æstus arenis.

Omnes & Semiquinariā, & Semiseptenariam, & Bucolicam habent.

DE VERBIS POETICIS.

Verborum licentia liberiores multò sunt Poetę, quam Oratores: quibus assiduè, accurateque legendis, non solum verba, sed etiam cetera ornamenta ijs, qui poeticæ studio tenentur, diligentissimè sunt obseruanda.

DE PATRONYMICIS NOMINIBVS.

Propria item Poetarum sunt, quæ à Grammaticis Patronymica vocantur, quod à patrum, maiorumque nominibus facta, filium, aut filiam, nepotem, aut neptem, aut ex posteris aliquem significent. Hæc ferè à Græcis nominibus fiunt, atque in *des*, vel *as*, vel *Is*, vel *Ne* exeūt: quorum prima masculina sunt, & primæ declinationis, vt *Pelides, Achilles*, Pelei filius.

Ouid. in Ep. *Pelides vtinam vitasset Apollinis Arcus.*

Aeaci-

Aeacides, Achilles, Aeacinepos.

Virg. Aen. 1. *Sauus vbi Aeacida telo iacet Hector, &c.*

Idem. Aen. 3. *Coniugio Aeacidæ Pyrrhi, sceptrisque potitum.*

Aeacides Pyrrhus, Epirotarum Rex ab Aeaco originem trahens.

Virg. Aen. 6. *Ipsumq; Aeacidē genus Armipotētis Achillei.*

Cetera fœminina sunt, & declinationis tertiæ, exceptis vltimis, quæ secundæ sunt Græcorum, vt *Thestias*, Althæa, Thestij filia.

Ouid. Met. 8. *Thestias haud aliter dubijs affectibus erat.*

Thaumantias, Iris, Thaumantis filia.

Virg. Aen. 9. *Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est.*

Aeolis, Alcyone Aeoli filia.

Ouid. Met. 11. *Aeolis interea tantorum ignara malorum.*

Atlantis, *Atlantidis*, Electra, Atlantis filia.

Virg. Aen. 8. *Dardanus Iliacæ primus pater vrbis, & auctor Electrae, vt Graij perhibent, Atlantide cretus.*

Neptunine, Thetis Neptuni filia.

Catull. *Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine.*

Nerine, *Nerines*, Galatea filia Nerei.

Idem. Eclog. 7. *Nerine Galathea, &c.*

Appendix. I.

Patronymica non solum à patribus, auis, proauis, ab auis, atauis, tritauis, alijsque maioribus deducuntur, sed etiam à matribus: vt *Iliades*, Romulus ab Ilia, *Phylirides*, Chiron, Centaurus à Philira; *Latois*, *idis*, vel *idos*, Diana à λητω, hoc est Latona.

Ouid. Met. 14. *Inuadunt, portasque petunt; quas obijce firmo Clauserat Iliades.*

Id. Met. 7. *Phylirides puerum cithara perfecit Achillem.*

Idem. *Præteritas cessasse ferunt Latoides aras.*

Item à fratribus: vt, *Phoronis* Io, seu Isis Phoronei soror: *Phaetontias*, soror Phaetontis.

Id. Met. 1. *Nec superū rector mala tanta Phoronidos vltra. Ferre potest.* Virg. Eclog. 6.

Tum Phaetontiadas musco circundat amaræ Corticis.

A regibus præterea & conditoribus: vt *Romulidæ*,

Romani, à Romulo: *Dardanidæ*, Troiani, à Dardano. *Aeneadæ*, ab Aenea: *Cecropidæ*, Athenienses, à Cecropes; ijdem *Thesidæ* à Theseo.

Iuuen. Sat. 1. *Interpocula quærunt*
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.

Virg. Aen. 5. *Dardanidæ magni genus alto à sanguine Diuũ.*

Idem. Aen. 3. *Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.*

Ouid. Met... *Cecropidas duxit.*

Virg. Geor. 2. *Præmiaque ingentes pagos, & compita circum.*
. Thesidæ posuere.

Appendix 11.

„ Multa à regionibus, vrbibus, montibus, fontibus, fluuijs, aliisque rebus fiunt; quæ formam quidem patronymicam habent, re autem gentilia sunt, aut pro possessiuis, adiectiuisque nominibus ponuntur: vt *Asis, Lybistis, Italis, Ausonis, Sarmatis, Colchis, Sithonis, Thessalis, Sicelis, Sidonis, Ilias, Troas, Erymantis, Mœnalis, Pieris, Tritonis, Pegasis, Phasis, Phœbas.*

Ouid. Met. 9. *Aegeas metiris aquas, & in Aside terra*
Mania constituis;

Sil. li. 7. *Adquẽ Cymodoce Nympharũ maxima natu Italidũ.*

Virg. Aen. 5. *Horridus in iaculis, & pelle Libystidis vrsa.*

Ouid. Fast. 2. *Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.*

Idem. Trist. 1. *Sarmatis est tellus, quam mea vela petunt.*

Idem in Epi. *Nec vehit Actæas Sithonis vnda rates.*

Virg. Aen. 1. *Interea ad templum non æquæ Palladis ibant*
Crinibus Iliades passis.

Ouid, Met. 13. *Troades exclamant, obmutuit ille dolore.*

Idem. Trist. 3. *Cumque truci Borea Mænalis vrsa videt.*

Idem in Epi. *Pegasis Oenone Phrygijs celeberrima siluis.*

Idem. Fast. 2. *Credulus immerita Phasida fouit ope.*

Lucan. lib. 5. *Limine terrifico metuens consistere Phœbas.*

„ *Patronymica masculina quo pacto formentur.*

„ *Præceptum 1.*

NOmina A, finita assumũt *Des*, syllabam, vt *Ilia, Iliades*: *As*, terminata, assumunt *De*, syllabam, ante S: vt *Aeneas, Aeneades*: *Pharetias, Pharetiades.*

Ouid.

Ouid. Met. 8. *Cumque Pharetiade, & Hyanteo Iolao.*

" *Exceptio,*

A, finita aliquando ipsum A, mutant in I, *Phylira, Phylirides: As,* terminata interdum i, ante A, assumũt, vt *Amyntas, Amyntiades* Philippus Amyntæ filius.

Ouid.. in Ibin. *Aut vt Amyntiades,* &c. *Aeneides*, Iulus Aeneæ filius, fit à Græco αἰνείας Aeneias sublata A, Aeneiades, Aeneides.

Virg. Aen. 9. *Sit satis Aeneide telis impune Numanum.*
Oppetijsse tuis.

" *Præceptum* II.

ES, finita mutant *Es,* in *Ades:* vt *Hippotes, Hippotades,* Aeolus Hippotæ filius.

Ouid. Met. 4. *Clauserat Hippotades æterno carcere ventos.*

" *Exceptio.*

Hæc sæpè I, Ante A, admittunt, vt *Anchises, Anchisiades, Laertes, Laertiades.*

Virg. Aen. 8. *Aeneas Anchisiades, & fidus Achates.*

Ouid. Met. 1. *Saxa moues gemitu; Laertiadæque precaris,*

" *Præceptum* III.

NOmina secundæ declinationis *Vs*, finita in genitiuo assumũt *Des,* syllabam penultima breui: vt *Aeacus, Aeaci, Aeacides:* sic *Priamides, Aeolides, Tantalides,* à Priamo, Aeolo, Tantalo.

Virg. Aen. 6. *Misenum Aeoliden, quo non præstantior alter.*

Ouid. Met. 13. *Priamidemq;. Helenum rapta cum Pallade captum.*

Idem. in Ibin. *Tantalides tu sis, tu Tereique puer.*

" *Exceptio* I.

Nonnulla penultimam habent longam: vt, *Belides, Lycurgides, Amphiaraides.*

Virg. Aen. 2. *Belida nomen Palamedis.*

Ou. in Ibin. *Quiq; Lycurgidem lacrauit ab arbore natum.*

Idem. Fast. 2. *Amphiaraides Naupacteo Acheloo.*

" *Exceptio. II.*

Quæ à nominibus secundæ declinationis fiunt, interdum etiam ante *Des*, syllabam A, litteram recipiunt, maximè

quæ

quæ in Tius exeunt: vt, *Battus, Battiades: Asopus, Asopiades: Menatius, Menetiades: Thestius, Thestiades: Nauplius, Naupliades*: hæc in *ius*, posterius I, genitiui mutant in A, *Thestij, Thestiades.*

Ouid. in Ibin. *Nunc quo Battiades, inimicum deuouet Ibin.*

Ou. Met. 7. *Huic Asopiades, petis irrita dixit, & vrbi.*

Ou. in Ep. *Siue Menoetiadem falsis cecidisse sub armis.*

Ou. Met. 8. *Testiade clamant.*

Id. Met. 13. *Sed neque Naupliades facinus defendere tãtum.*

Iapetionides ab Iapeto, pro *Iapetides* longius à forma recessit.

Ouid. Met. 4.

Hic hominum cunctis ingenti corpore præstans
Iapetionides Atlas fuit.

Exceptio IV.

GEnitiuus nominum in Eus, assumit *Des*, syllabam penultima longa; E, enim & I, vocales in I, longum vel vel *ei* diphtongum contrahuntur: vel *ei*, more Græcorum: vt à multis scribitur: vt, *Atreus, Atrei, Atrides*, seu *Atreides*: sic *Pelides, Alcides, Achilleides, Thesides, Tytides*, & sexcenta alia.

Ouid. Met. 13. *Conuocat Atrides socios terrore pauentes.*

Virg. Aen. 10. *Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis.*

Ouid. in Ep. *Pyrrhus Achilleides animosus imagine patris.*

Appendix.

Hæc rarius A, ante *Des*, syllabam habent.

Virg. Aen. 2. *Panthus Otriades arcis, Phœbique sacerdos,*

Præceptum V.

SI nomina sint tertiæ declinationis, patronymica fiunt à datiuo, addita *Des*, syllaba; vt *Agenor, Agenoris, Agenori, Agenorides*, Cadmus filius Agenoris. *Thestorides.* Calchas filius Thestoris. *Actorides*, Patroclus, nepos Actoris. *Aesonides*, Iason filius Aesonis.

Ouid. Met. 3. *Donec Agenorides coniectum in guttura ferrum.*

Idem. Met. 12. *At veri præditus augur*
Thestorides, vincemus, ait.

Id.

Id.Met.13.*Reppulit Actoridæ sub imagine tutus Achillis.*
Val.Flac.lib.6.*Aduolat Aesonides, mortemq; cadentis acceruat.*

Exceptio.

Nomina *As*, finita, quorum genitiuus exit in *Antis*, A, litteram ante *Des*, syllabā petunt: vt, *Abas Abantis, Abanti, Abantiades*: sic *Atlantiades, Paantiades, Athamantiades, Dryantiades*, & aliā id genus.

Ou. Met. 5. *Victor Abā: iades patrios cū cōiuge muros Intrat.*
Idem. Met. 8. *Venit Atlantiades positis caducifer alis.*

2. Eodem ferè modo formātur, quæ à nominibus in *On* fiunt: *Telamon, Telamonis, Telamoni, Telamoniades: Amphitryonades, Laomedontiades.*

3 A Scipione tamen non *Scipioniades*, sed *Scipiades*, imminuto verbo nascitur Ouid. Met. 13.

Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quidquam Audet.
Virg. Aen. 8. *Interea cum iam stabulis saturata moueret Amphitryonades armenta.*
Idem ibid. *Laomedontiaden Priamum Salamina petentem.*
Idem Geor. 1, *Hac Decios, Marios, magnosq; Camillos, Scipiadas duros bello, & te, maxime Cæsar,*
Silius lib.7. *Heu vbi nunc Gracchi? aut vbi sunt nunc fulmina gentis Scipiadæ?*

Patronymica fœminina vnde formentur. Præcep. 1.

Patronymica fœminina, quæ in *As*, & *Is*, exeunt, fiunt à masculinis, *De*, syllaba sublata, vt *Thestiades, Thestias, Thestiadis*: *Æetiades, Æetias; Thaumantiades, Thaumantias: Phaetontiades, Phaetontias: Æolides, Aeolis, Aeolidis: Tantalides, Tantalis: Oebalides, Oebalis: Latoides, Latois: Dardanides; Dardanis, idis: Cecropides, Cecropis: Belides, Belis, idis*: Multa præterea sunt, quę passim apud Poetas leguntur.

Ouid. Met. 7. *Rapido fallax Aeetias igni.*
Id. Met. 11. *Talibus Aeolidis dictis, lacrymisq; mouetur.*
Idem in Epist. *Aut ego Tantalidæ Tantalis vxor ero.*
Id. Met. 4. *Assiduè repetunt, quas perdunt Belides vndas.*

,, *Appendix. I.*

Quædã tùm in *as*, tum in *is* exeunt: vt, *Aeetias*, & *Aeetis*, *Atlantias*, & *Atlantis*.

Val. Flac. lib. 7. .... *nec me Aeetis quin audiat opto*.

Idem. lib. 6. *Ingens Aeetida perculit horror.*

Virg. Geor. 2. *Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.*

Silius lib. 16. *Vixque Atlantiadum rube fecerat ora sororũ*.

,, *Appendix. II.*

Fœminina, quæ à masculinis fiunt penultima longa, in *Eis*, desinunt, soluta diphtongo, atque E, breui in longum verso: vt *Aeneides*, *Aeneis*, *Aeneidos*: *Achilleides*, *Achilleis*, *Achilleidos*: *Theseides*, *Theseis*: *Theseidos*.

Ouid. Trist. 2.

Et tamen ille tuæ felix Aeneidos auctor.

Stat. Theb. 12. *Viue precor, nec tu diuinam Aeneida tenta.*

Iuu. Sat. 1. *Semper ago auditor tantum? nunquam ne reponã, Vexatus toties rauci Theseide Codri?*

,, *Exceptio.*

Nonnunquam penultima manet breuis.

Ou. de Pon. 3. *Res quoque tanta fuit, quantæ subsistere summo Aeneidos vati grande fuisset opus*.

,, *Præcep. II.*

NE, finita à genitiuo fiunt addita *Ne*, syllaba, penultima longa, *Neptunus*, *Neptuni*, *Neptunine*: sic *Adrastine*, *Nerine*, à genitiuis *Adrasti*, *Nerei*, E, & I, mutatis in I, longũ, Quod si primigeniũ I, ante *os*, habeat, mutabitur *Os*, in *One*, penultima producta: vt *Acrisios*, Ἀκρισιώνη, *Acrisione*, Dinae Acrisii filia.

Catul. *Te ne Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?*

,, *Appendix. I.*

A Muliebri *Acrisione* finxit Ouidius virile *Acrisioniades*. *Vertit in hunc harpen madefactam cade Medusæ Acrisioniades adigitque in pectus; at ille, &c.*

,, *Appendix. II.*

Oratores rarò patronymicis vtuntur. Cic. Off. 1. *Regalis sane, & digna Aeacidarum genere sententia.*

DE

DE METAPLASMO, ET figuris quibusdam Poetarum.

PPoprium itidem Poetarum est, verbis, quibus Oratores vtuntur, aliquid interdum addere, vel detrahere: nonnunquam literas alias aliis permutare: aliquando è proprio loco in alienum transferre: quod quidem cum in soluta oratione vitium sit, Barbarismusque nominetur, in carmine tamen non Barbarismus, sed Metaplasmus appellatur. Datur enim venia Poetis, quia plerumque coguntur metro seruire. *Metaplasmus* verò dicitur, quòd vetus verborum forma, vel necessitate metri, vel ornandi poematis causa, à Poetis in nouam figuram, faciemque sermonis mutetur.

Prothesis apponit caput id, quod Aphæresis aufert,
Syncopa de medio tollit, quod Epenthesis addit.
Apocope demit finem, quem dat Paragoge,
Tmesis verba secat, Metased thesis ordine spreto
Transfert litterulam, Antithesis saluo ordine mutat.

" *Scholion.*

" *Prothesis, & Aphæresis.*

LIttera vel syllaba principio dictionis addita, vocatur Prothesis, vt *Gnatus*, pro Natus; *Gnauus* pro Nauus. Ter. And. *Eo pacto & gnati vitam & consilium meum cognosces.*

2 Littera, vel syllaba principio dictionis subtracta Aphęresis appellatur, vt *Ruo*, pro Eruo: *Temno*, pro contemno: *Peto*, pro expeto.

Virg. Aen. 12. *Dabit ille ruinas*
Arboribus, stragemque satis, ruet omnia late.

" *Ephenthesis, & Syncopa.*

3 Epenthesis est, cum medio dictionis littera, aut syllaba interiicitur: vt, *Mauors*, pro Mars; *nauita*, pro nauta; *induperator*, pro imperator: *Cinctutus*, pro cinctus.

Virg. Aen. 8. *Fecerat, & viridi fætam Mauortis in antro*
Procubuisse lupam.

Ou. Fast. 2. *Quid tibi cum gladio? dubiã rege nauita puppim.*

4 Syncope literam, vel syllabam e medio dictionis sub-

trahit: vt *Gubernaclo*, pro gubernaculo: *Periclis*, pro periculis: *Vixet*, pro vixisset: *Extinxem*, pro extinxissem: *Diuũ*, pro diuorum.

Virg. Aen. 5. *Cumq; gubernaclo liquidas proiecit in vndas.*

Idem Aen. 1. *Vixet, cui vitam Deus, aut sua dextra dedisset.*

Idem Aen. 3. *hic me pater optime fessum Deseris, heu tantis nequicquam erepte periclis?*

Idem Aen. 4. *natumque patremque*
Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.

Paragoge & Apocope.

Paragoge, seu Proparalepsis dicitur, cum extremæ syllabæ aliquid adiungitur: vt *Deludier*, pro deludi: *Admittier*, pro admitti.

Teren. Aud. *Vbiuis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier.*

Virg. 9. *Tum Nisus, & vnà*
Euryalus confestim alaceres admittier ornat.

2 Apocope fini dictionis aliquid detrahit: vt, *Tuguri*, pro tugurij: *Oti*, pro otij.

Virg. Eclog. 1. *Pauperis & tuguri congestum cespite culmen*

Idem Georg. 4. *Parthenope studijs florentem ignobilis oti.*

Tmesis.

Tmesis verbum diuidit alio interposito, vt: *Inque ligatus*, pro *illigatus que*: *qui te cumque*, pro *quicumque te*: *inque salutatus*, pro, & *insalutatus*: *Hac Troiana tenus, Septem subiecta trioni*: pro Hactenus: Septentrioni.

Virg. Aen. 10. *Ille pedes referens, & inutilis inque ligatus.*

Idem Aen. 9. *Inque salutatam linquo.*

Idem ibidem. *Qui te cumq; manent isto certamine casus.*

Antithesis & Metathesis.

Antithesis est litteræ cõmutatatio: vt. *Olli*, pro illi.

Virg. Aen. 10. *Olli cæruleus supra caput astitit imber.*

2 Metathesis est litterarum ordo immutatus: vt, *Thymbre*, pro Tymber. Virg. Aen.
Nam tibi Thymbre caput Euandrius abstulit ensis.

Nisi quis putet nominandi casu, tùm Thymber, tùm Thymbrus dici, vt Euander, & Euandrus.

Ap-

" Synalæphe, Episynalæphe, Diæresis, Ecthlipsis, Systole, Diastole, sunt etiam Metaplasmi species, de quibus supra egimus.

DE PROSODIA, SIVE ACCENTV.

GRæci τόνους, vel προσῳδίας, Latini *tonos*, seu tenores, Gramatici vulgo *accentus*, Cicero, *voces* appellat.

Accentus rector est, ac moderator pronunciationis. Eo enim vel attollitur, vel deijcitur vox: vel partim attollitur, partim deiicitur. Quò circa ipsum non immeritò quidam *vocis animam* appellarunt.

" *Accentus tres.*

1 Tres sunt tenores, Acutus Grauis Circumflexus. Acuto attollitur syllaba, Graui deprimitur: vt *Populus* antepenultima acuitur, penultima verò, & vltima deprimuntur, gradatimque descendunt.

2 Acuti nota à sinistra in dextrum obliquè ascendit.

Accentu Circumflexo partim attollitur, partim deijcitur syllaba: vt, *Romanus*. Eius nota ex acuto, & graui constat: sonus hodie, incertus est: si quidem Latinè linguæ hospites, veterisque pronunciationis ignari eodem penitus sono tum acutas, tum flexas voces efferimus.

3 Acutus in penultima, vel antepenultima locum habet: Circumflexus in penultima tantum, Grauis vbi vterque abest. Nullum autem verbum est sine acuto accentu, aut circumflexo: verum simul cum vsu Latini sermonis, etiam antiquam pronunciationem amisimus.

4 Atque olim quidem monosyllaba natura longa, aut positione simul, & natura, inflectebantur: vt, *Mos, Ros, Lux*, In dissyllabis, & polysyllabis penultima inflectebatur, si esset natura longa, aut positione simul, & natura: vt *Roma, æstus, Romanus, æstatis*. Alioquin acuebatur: vt, *Aestas, Arma, Furor*.

DE DISSYLLABIS.

Præceptum. I.

" In dissyllabis (nam in monosyllabis accentus hodie non cognoscitur) prior acuitur, siue longa sit, siue breuis: vt *Roma, mores, arma, virum.*

" *Appendix. I.*

Nullius verbi Latini vltima syllaba, auctore Quint. lib. 1. c. 5. & 11. cap. 10. aut acuitur, aut circumflectitur. Quare Palam, vna, alias, porro, sane, certe, *&c. id genus aduerbia, prima acuta sunt pronuncianda. Nam si suscipimus, quod nonnulli Gramatici tradunt; discriminis causa postremam horum verborum syllabam esse acuendam. serpet res longius quam volemus. Idem enim erit faciendum in* verò, serò, crebrò, modò, *et alijs innumerabilibus, quæ nomina, & aduerbia: vel nomina, & verba esse possunt. Nec te moueat, quod vltimæ sæpè à typographis graui accentu notentur; id enim tantum fit, vt aduerbia esse intelligas.*

" *Appendix. II.*

Nec illa quidem acuam postrema syllaba, illic, istic, illuc, istuc, donec, adhuc, reduc, *& similia: neque illa,* exin, dein, proin, *quamuis quidam Grammatici, quod sint abscissa, acui velint, Multò minus dicam* quicum, mecum, nobiscum *postrema acuta, negante Quintiliano vltimam syllabam acui in verbo Latino, vt paulo ante docuimus.*

" *Appendix. III.*

Coniunctiones, quæ inclinantes, seu inclinatiuæ dicuntur, que, ve, ne, *à multis ita pronunciantur, vt accentum in præcedentis vocis postremam syllabam reijciant, & inclinent more Græcorum;* Terrasque, tractusq; armaq; hominesne ferque. *Verum hoc translatiuum à Græcis est. Elegantior alijs illa ratio videtur, & Latinorum propria: vt, hæ coniunctiones nihil accentum immutent,* terrasque, tractusque, *&c. nimirum, vt tanquam duæ dictiones pronuncientur, quarum suum quæque accentum habeat. Nam quod versus non tam iucundè sonat, si*

ita

ita pronuncies; nihil ad rem esse aiunt; cum ne Homeri quidẽ versus admodum iucundum habeant sonum. Vtraque ratio probabilis est, neutra reprehendenda.

DE POLYSYLLABIS.

" *Praeceptum* II.

IN polysyllabis penultima, si longa est, acuitur, vt, *mortalis, sollicitudo*, quod si penultima breuis est, acuitur antepenultima, vt *gemitus, sollicitus.*

" *Appendix.* I.

Sæpe euenit, vt metri conditio [vt ait Quintilianus] mutet accentum: vt *Pecudes pictaque volucres.* Nam *volucres* media acuta dicam, quia etsi natura breuis, tamen positione longa fit à poeta.

Non desunt qui vocandi casu dici velint penultima acuta *Valeri, Virgili, Mercuri, Ouidi, Ambrosi*, & alia huiusmodi, quę habent penultimam breuem. Sane hunc morem sua ætate viguisse docet Gellius lib. 13. c. 24. & hodie viri docti non pauci retinent. Alii malunt antepenultimã acuere, vt præcipit communis illa regula de polysyllabis: quam pronunciationem Gellio antiquiorẽ fuisse, ipsemet declarat eodem loco, cum Nigidium ita pronunciari voluisse commemorat.

" *Appendix.* II.

Fuerunt olim, qui in compositis acui antepenultimam vellent, etiã si penultima longa esset. Itaq; pronũciari iubebant antepenultima acuta, aliquãdo, si quãdo, deinde, exinde, dũtaxat, deorsũ, ex aduersũ, enimuero, quapropter, quinimo, nimirum, quamobrẽ, *& alia eodem modo. Huius sententiæ fuit Seruius ad sextum Aen. Annius, & Probus apud Gell. lib. 7. cap. 7. Nostra quoque ætate nonnulli viri docti. Quocirca propter tantorum virorum auctoritatem non videtur hæc pronunciatio explodenda, cum præsertim in Græcis quoque verbis compositis idem factari videamus. Alij quod hæc ratio à Grammaticis illis ex Græcorum similitudine inducta*

sit potius, quam veterum Latinorum vsu comprobata, malunt communem illam pollysyllabarum regulam sequi, & aliquando, deinde, enimuero *dicere penultima acuta; præsertim vero cum Gellius ipse illum pronunciandi morem improbare videatur.*

,, *Appendix.* III.

Sunt etiam qui pronunciari iubeant calefac, frigefac, introduc, Arpinas, *vltima acuta: vt habeatur ratio abscissionis, quod olim* calefacc, frigeface, introduce, Arpinatis *diceretur. Verum id gratis videtur dici, cum neque probabili ratione, neque veterum (quod sciam) auctoritate nitatur. Quin potius repugnat Quinctiliano, qui, vt sæpè iam diximus, negat in Latinis verbis vltimam syllabã acui. Fuit omnino planè simplex apud veteres Latinos, & (vt Quinctil. verbis vtar) rectissima ac breuissima ratio grauium, acutarumque vocum. Ineptia grammaticorum eam & longam, & multiplicem, & variam, & obscuram reddiderunt.*

DE GRAECIS VOCIBVS.

,, *Præceptum.* III.

VErba planè Græca Græco accentu pronunciãtur: vt Παραλειπομένων *Paralipomènon* penultima acuta,, λιθόστρωτος *Lithostrotos,* acuta antepenultima, κύριε *Kyrie*: eadem acuta ἐλέισον *eleison*, verbum est quatuor syllabarum, cuius non vltima, sed antepenultima acuitur.

2 Sin Latinè inflectantur, ad Latinorum normam dirigenda sunt: Itaque *Penelope, Rhodope, Hecate, Antiope, Calliope, Rhetorica, Grammatica,* & alia eiusmodi antepenultimam acuunt, quia penultima breuis est. *Cæsarea, Laodicea, Thessalonica, Idolum,* & alia eiusmodi acuunt penultimam, quia longa est.

,, *Appendix.* I.

Atreus, Theseus, Orpheus, Tereus, Phereus *& alia eiusmodi si soluant diphthongum, acuunt antepenultimam, itemq; in cæteris casibus Latinis,* Terei, Vlyssei, Orpheo, Phalereo, *Atreum,*

Atreum, Theseum, *&c. verum accusatiuus Græcus* Atrea, Terea, *& cætera eiusmodi videntur nonnullis accentum quoque Græcum retinere posse penultima acuta.*

" *Appendix.* II.

Philosophia, Theologia, Academia, Dorothea, Idea, *& alia huiusmodi rectè acuunt penultimam: retinent enim accentum Græcum, cum ipsa sint Græca. Eadem tamen si Latina sint, rectè quoque acuunt antepenultimam. Cæterum consuetudini locorum seruiendum est. Consuetudinem autem vocamus, vt in vita bonorum, sic in sermone eruditorum, vt Quintil. docet lib. 1. c. 6.*

" *Appendix.* III.

Idem Alexandria, Antiochia, *& cætera huiusmodi; si Græco more efferantur, rectè acuunt antepenultimam: sin autem Latinè pronuncientur, acuunt penultimam.* Protagoras Anaxagoras, *&* Gorgias, Archias, Lysias, *& alia generis eiusdem, etsi Græco more penultimam acuere possent; melius tamen videntur acuta antepenultima efferri.*

DE HEBRAEIS VOCIBVS.

" *Præceptum. IV.*

QVæ Hebræa omnino sunt, neque Latinitate donata, Hebræo tono pronunciari licet, vt *Amen, Cherubim, Seraphim, Hierusalem, Israel, Iacob,* vltima acuta, vt pleraque Hebræa pronunciantur. In his tamen ipsis regionum videtur consuetudo seruanda. Verum si latinè flectantur, Latinè pronuncianda sunt: vt. *Sara, Moses, Elias, Elisæus,* & cetera, quæ per casus flectuntur, nam apud Hebreos indeclinabilia sunt.

" *Appendix.* I.

Abel, Cain, Lamech, Noe, Abigail, Baal, Eden, Ephrata, Ephraim, Gomor, Isboseth, Phase, Syboleth, & quæ in ezer, sedec, melech, Ai *exeunt; vt Eliezer, Melchisedec, Abimelech, Sarai, Sinai, Abisai, & alia quædam penultima acuta pronunciantur apud Hebræos: quo circa is accentus seruari potest à La-*

a Latinis, cum indeclinatè vsurpantur. Nam si declinari possent Abigail Abigailis, Ephrata Ephratæ, Melchisedec, Melchisedecis, satius videtur accentu Latino pronunciare acuta antepenultima in nominatiuo. Quin etiam cætera, quamuis non declinata, complures viri docti Latino accentu efferre non dubitant.

Appendix. II.

Si qua erit vel in Hebræis vocibus, vel in Græcis, cuius verus accentus, propter insolentiam, vulgi aures grauiter offendat, in vulgi conuentu satius videtur (id quod fecisse se Cicero dicit in Oratore) scientiam sibi reseruare, vsum populo concedere. Quocirca secundum ordinem Melchisedec, & Antiphona, *antepenultima acuta dicam potius, quam penultima vt vera pronunciatio postularet. At* Andreas, Lucia, Maria *penultima acuta, accentu Græco efferam potius, quàm Latino. At* Barabbas *penultima acuta potius Latino more; vel si* Barrabas *duplici R, scribatur, & simplici, b, antepenultima acuta pronunciando libentius, quàm vltima acuta more Græcorum. IESVS quoque penultima acuta, Latino more potius, quam vltima inflexa more Græcorum, à quibus Ἰησοῦς dicitur, cui, Deo videlicet & salutis nostræ parenti, nostros hosce qualescunque labores offerimus ac dicamus.*

Admonitio.

Quæ hic de accentu traduntur, præsertim in appendices relata, non modo sunt ex ipso Emmanuele, sed etiã ex Petro Perpiniano desumpta. Si quis plura desiderat, Commentarios consulat Emmanuelis.

Scholion.

DE

DE INTERPVNCTIONE.

QVemadmodum interſpiratione orationem loquendo diſtinguimus: ita interpunctione, ſiue interductu ſignificamus modos quoſdam, quibus eadem oratio ſcribendo diſtinguatur. Quare, vt interpunctionis diſcrimina cognoſcantur, orationis veluti partes cognoſcendæ ſunt.

2 Circuitus, ſiue ambitus, Græce περίοδος eſt apta, & concinna verborum comprehenſio, quæ duabus præcipuè partibus cõſtat, quarum altera Græcè πρότασις, Latine *propoſitio*, altera ἀπόδοσις, quaſi *redditio* dicitur.

3 Vtraque pars, tum propoſitio, tum redditio conſtarē poteſt pluribus membris, & inciſis; atque illa quidē Græcè κῶλα, hæc vero κόμματα nominantur.

4 Inter membrum autem & inciſum illud intereſt, quod membrum longiuſculum eſt, & aliquid vel affirmat, vel negat: Inciſum eſt breuius, & ſæpè nihil affirmat, aut negat.

5 Interductus igitur vel interpunctio inter πρότασιν ſeu propoſitionem, & ἀπόδοσιν ſiue redditionem erit punctum ſemicirculo, ſeu inuerſæ lineæ impoſitum ſic(;)quæ tamen interpunctio ſemper videtur adhibenda, cum ita membrum à conſequentibus pendet, vt nullo modo poſſit ſententia illa conſiſtere; id quod ipſa etiam voce ſuſpendenda ſignificamus.

6 Inter membra, præſertim ſi paulò maiora ſunt, bina puncta collocatur(:) Inciſa, & minora quædam membra, fere inuerſa lineola diſtinguuntur, quàm *virgulam* alij, alij *commam* vocant (,). Quin etiam minima inciſa, & quæ pronunciando nulla ſolent interſpiratione diſtingui, ea ne ſcribendo quidem, vlla interpunctione diſiungemus. Inter periodos denique, ſeu comprehenſiones ipſas puncta collocamus (.).

7 Quæ comprehenſiones nouam periocham inchoauerint, eæ primam literam habebunt maiuſculam. At ſi

erunt

erunt in eadem ſententia, in qua ſuperiores comprehenſiones, nullum erit litterarum diſcrimen; nominibus proprijs tamen exceptis, quæ maiuſcula ſemper inchoantur.

8 Eſt autem Periocha certæ cuiuſpiam rei vel negotij perfecta complexio, quæ vel per ſe conſiſtere, atque à ceteris diſiungi poſſit.

9 Quod ſi Periocha argumentum valde diſſimile complectatur: aliquo etiam relicto ſpatio à ſuperioribus ſecerni ſolet.

Exempla horum paſſim ſuppeditantur à M. Tullio, nos vno contenti ſimus ex lib. 7. epiſt. 16. ad Trebatium. *Ego, ſi foris cænitarem, Gn. Octauio familiari tuo non defuiſſem: cui tamen dixi, cum me aliquoties inuitaret, oro te, quis tu es? Sed me Hercule extra iocum, homo bellus eſt: vellem, eum tecum abduxiſſes. Quid agatis, ecquid in Italiam venturi ſitis hac hyeme, fac planè ſciam.*

11 Interdum oratio tota ita membratim, cæſimue contexitur: vt ſæpè inter ipſa membra, vel inciſa, punctum collocetur. Cic. Tir. lib. 16. *Nunc te nihil impedit. omnia depone. corpori ſerui. quantam*, &c.

12 Interrogandi nota conſtat linea inflexa puncto ſuperpoſita (?) Cic. Papirio lib. 9. epiſt. 15. *Quid ſimile?*

13 In dolore, & admiratione alij putant lineam illam rectam eſſe opportere: vt, *ò me miſerum!* alij punctum ſatis eſſe opinantur: vt, *ò tempora, ò mores.*

14 Parentheſis, quæ Latinè fortaſſe dici poſſet Interpoſitio, ſententiam omninò diuerſam in mediam conijcit comprehenſionem, ac duobus maiuſculis ſemicirculis ſe mutuò aſpicientibus indicatur. (.) Cic. Torquato lib. 6. epiſt. 2. *Quæ vis inſit in his paucis verbis (plura enim committenda epiſtolæ non erant) ſi attendes, quod facis, profectò etiam ſine meis litteris intelliges, te aliquid habere, quod ſperes*, &c.

15 At ſi non omninò ſit diuerſa ſententia, ſatis videtur illam minoribus ſemicirculis, ſiue lineolis inflexis diſtinguere: idemque ſeruandum ſi geminæ tantum, ternæue interſeran-

ferantur voces; quales illæ ſunt, *Vt opinor*, *Niſi fallor*, & horum ſimiles.

16 Neque tamen ſumus neſcij alios aliam interpungendi rationem ſequi. Nos hanc optimam ducimus: neque tamen alias reprehendimus.

LAVS DEO.

MERCVRIVS BILINGVIS


Hoc eſt

Noua faciliſque ratio Latinæ vel Italicę linguæ intra vertentem annum addiſcendę.

In vſum eorum, qui alterutram earum linguarum iam intelligunt.

DE FORMA ET

Vſu Huius Operis.



INGVLA vocabula vt facile memoriæ mandantur, ita celeriter excidunt. Harum ergo ſententiarum auctor *Guilelmus Bateus*, equeſtri loco in Hibernia natus & Madriti annos 1614. pie defunctus circiter quinque millia vocabulorum Latinorum ex Lexico excerpta coniunxit, vt 1141. ſententias ſiue enunciationes inde confecerit, quod rectè iudicaret, fore vt eas tanto facilius *percipiant animi dociles teneantque fideles*, quod duorum hic adminiculorum vſus ſit, *Memoriæ* ſcilicet & *Dianoeæ*: ſiue *Mentis* aut *Diſcurſus*: quem vocant, vel ſaltem Compoſitionis & Diuiſionis, in qua facile vnius partis recordatio in partis alterius memoriam inducit.

Vocabula excerpſit trium generum, quorum alia vocat Quotidiana, alia Fundamentalia, alia Rara.

Quotidiana ſunt, quorum vſus ſubinde in vita agenda occurrit, vt ſunt Nomina & Verba res plerumque obuias ſignificantia (vt quæ ad corpus humanum, eius membra, & membrorum officia atque vſus, ad victum, amictum, tectumque pertinent) tum Particulæ, vt præpoſitiones coniunctiones, aduerbia &c.

Fundamentalia vocat ſiue primitiua, ſiue deriuatiua, ex quorum cognitione facile quis in multorum aliorum vocabulorum notitiam perueniat. Exempli cauſa, qui intelligit vocem *Sanctiſſimus*, habet velut fundamentum no-

notitiæ aliarum vocum, vt *Sanctus, Sanctitas, Sanctimonia, Sancte, Sanctificare*. Itaque vox *Sanctissimus*, habetur pro Fundamentali.

Rara sunt, quæ vel rarissimè in bonorum auctorum lectione occurrunt, vel eas res significant, de quibus vt mentio fiat, minime sæpe euenit occasio.

In his 1141. sententijs numquam idem vocabulum Latinum bis ponitur, eoque fieri necesse fuit, vt sententiæ aliquot exirent friuolæ ac pæne ridiculæ, quod tamen discentem nihil morari debet, modò ipse hoc qualicumque inuento linguæ intelligentiam paucis mensibus consequatur.

Non pauca etiam vocabula & loquendi genera in ijsdem sententiis reperiuntur minus Latina, quoniam auctoris consilium fuit iis potissimum consulere, qui *S. Biblia*, *Missalia, Breuiaria*, & *Ritualia* siue *Ecclesiarum Agendas* intelligere cupiunt. quod intra annum vertentem etiam qui sit ingenio tardior sine dubio consequetur, si quotidie non nisi quatuor sententias intelligere discat memoriæque mandet.

Admonitio Magistri Latinæ linguæ.

Si quis ludum aperire & docenda lingua latina se collocupletare velit, hanc tenere rationem poterit. Paciscatur cum triginta discipulorum parentibus, vt singulorum nomine centum aurei alicubi deponantur, vnde sibi singulis mensibus vnum aureum in sumtum petere ius sit. Sed exacto anno si examinati discipuli quamcunque Ciceronis epistolā, quæ ipsis ab examinatoribus sit proposita, intelligere & interpretari verba singula possint, tum summæ illius residuum magistro numeretur. Hoc pacto magister tria millia aureorum vno anno lucraretur. Sed quoniam

veren-

verendum eſt, ne alios velut æquo tardiores, aut laboris fugitantes, à Schola ſua excludere neceſſe habeat, alios morbus aut occupatio aliqua in medio curſu remoretur, nec ad ſuſcepti laboris finem peruenire ſinat: ſi viginti ſaltem diſcipulos retineat, adhuc compendium ſatis magnum fecerit. Parentes verò diſcipulorum, qui ſapiunt, quantum iis ex hac diſcendi ratione cum impenſarum, tum quod multo pluris eſt, temporis lucri fiat, ignorare non poſſunt. Plerique; enim, qui hodie in Scholis docentur, vix quinto demũ anno tantum proficiunt, vt linguam latinam intelligant, & Ciceronis epiſtolas ſuo marte interpretari poſſint. An ergo parum lucratos putabunt pueros, ſi vnius anni tempore & ſumtu aut tantumdem, aut plus, quam alii quinq; annis profecerint? quod ſi autem contingat diſcipulum ad extremum vſque in Schola non perſeuerare, nempe non niſi totidem aureorum, quot menſibus operam magiſtro dederit, *impenſam* faciet. nam *iacturam* dicere nemo audeat, qui ſciat vel quatuor aut quinque menſium ſtudio incredibile ab eo pretium operæ fieri poſſe, qui quotidie primis duobus menſibus non niſi quatuor, reliquo trimeſtri denas ſententias edidicerit.

Ratio porrò docendi talis eſt. Primum omnium magiſter *Paradigmata Declinationum* & *Coniugationum* ediſcere iubebit, quod vno menſe, vel ad ſummum duobus etiam qui ſint ceſſatores præſtiterint, quamuis titubanter id faciant. nec enim id magnopere refert. Poſtea ſententias noſtras eis interpretabitur, quotidie ſcilicet quaternas, vt nimirum ſingula earum vocabula vernaculi ſermonis verbis declaret; quo facto dictabit eis ſingulorum vocabulorum coniugata. Verbi gratia, cum prima ſententia ſit, *In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis*, iſta eos ſcribere iubebit.

In, ſignificat In, nel.

Nomen, nome. *Nominare*, nominar, dar nome. *Nominatio*, la nomination. *Cognomi-*

nis, che hà vn nome simile. *Cognomen* &c.

Sanctissimus, molto Santo. *Sanctus*, Santo. *Sanctitas*, *Sanctimonia*, Santità. *Sancte*, Santamente. *Sãctificare*, far Santo.

Trinitas, trinità. *Trinus*, in plurali *Trini*, tre.

Sic ad secundam sententiam dictabit:

Solus, solo. *Solitudo*, solitudine. *Solitarius*, solitario. *Solum*, *Solummodo*, solamente.

Deus, Dio. *Deitas*, diuinità.

Creator, creatore. *Creatura*, cosa creata. *Creare Procreare*. *Creatio* &c.

Decus, *Decorare*, *Dedecorare*, *Cõdecorare*, *Dedecus*, *Indecor*, *Decet*, *Dedecet*. *Addecet*. *Indecens*.

Gloria. *Gloriosus*. *Glorificare*. *Gloriari*. *Inglorius*.

Ista & horum similia cum vernaculis vocabulis idem significantibus scribere eos iubebit, non vt ea ediscant, sed vt aliquoties domi relegant. Sic enim eorum facile in memoriam redibunt ab iis, quæ sententiæ continent, admoniti. Hanc autem ad rem vsui Magistro erit Vocabulariũ, in quo semper vna cum primitiuis, & simplicibus deriuata & composita leguntur, quod in Greco suo Lexico *Scapula*, in Latinogermanico *Dasypodius* & *Basilius Faber* præstiterunt, quorum haud scio an quid simile Itali habeant. Tandem dictatis omnibus, quæ ad quatuor sententiarum vocabula pertinent, Nomina earum singula declinari, Verba verò coniugari iubebit, ad exempla illa, quæ Paradigmatis continentur, & si qua in re ab illis discrepant, id quoq;

quoq; perſcribendum eis dictabit. Poſtridie pridianas quatuor ſententias memoriter vt recitent, imperabit, tum in proximis quatuor eandem interpretandi, dictandi, & Nominum Verborumque inflexionem exigendi rationem tenebit. Eadem omnia faciet, donec ſecundo menſe exeunte ad ducenteſimam ſententiam peruentum ſit. Tum quotidie decem ſententias illo ipſo, quo adhuc fecit, modo declarabit: ſed Nominum ac Verborum non niſi ea inflecti iubebit, quæ vel heteroclita aut anomala ſunt, vel quoquo modo ab illorum, quæ adhuc declinauerant & coniugauerant, ratione diſſident. Ita ſex vel ſeptem menſium ſpatio omnes ſententias diſcipuli memoria tenebunt, earumque occaſione ad quindecim circiter vocabulorum Latinorum millia intelligent, omniaque fere nomina ac verba declinare & coniugare ſcient, propoſitam etiam quamcunque Ciceronis epiſtolam ſuo marte interpretari poterunt, niſi tamen eos antiquitatum Romanarum, aut alterius cuiuſuis rei ignoratio impediat. quæ cauſa eſt, cur etiam qui ſunt doctiſſimi, multa tamen in epiſtolis illis non intelligant. Sic ſatis declaratum opinor, quæ Magiſtri, quæque diſcipulorum partes ſint & officia.

Magiſtri nimirum eſt

1 *Interpretari quotidie quatuor ſententias primis duobus menſibus poſt memoriæ mandata Declinationum & Coniugationum paradigmata.*

2 *Interpretari quotidie decem ſententias reliquis quatuor menſibus, aut ſaltem nonaginta quatuor diebus.*

3 *Dictare verborum ſingulorum coniugata, quæ ſcilicet ſint eorum primitiua, deriuatiua, compoſitiua, comparatiua, ſuperlatiua, diminutiua, item verba & aduerbia frequentiora, quæ ab illis oriuntur.*

4 *Dictare caſus obliquos nominum, & præterita ac ſupina verborum à Paradigmatis diſcrepantium.*

Discipulorum vero est


1 *Recitare memoriter pridianas quatuor vel decem sententias.*
2 *Declinare & Coniugare nomina, ac verba, quæ sententijs illis continentur.*
3 *Excipere magistri dictata.*
4 *Eadem dictata domi subinde relegere.*

Si ergo vtrique suum faciant officium, nihil impediet, quin Magister recipiat, quod à singulis pactus fuerat, laboris sui pretium: Discipuli verò, si forte sint iam magno natu, & ad Ecclesiasticum vitæ genus animo viam affectent, aut sacris initientur, aut Philosophiæ, vel Practicæ Theologiæ magistris operam dare incipiant. Cęteri autem facilè à magistro obtinebunt, vt reliquos quatuor menses, qui ad absoluendum annum supererunt, in præcipienda ipsis *Grammatica* nostra *philosophica*, aut eius *Rudimentis* impendere ne grauetur. quo facto non modo linguam latinam intelligent, sed & omnium, quæ recte vel scripta legent, vel dicta audient, multo veriorem certioremque rationem reddere scient, quam alij vel triginta annis in eius linguæ studio versati, quod multi homines doctissimi, qui eam viderunt, & confitentur vltro, nec quemquam, nisi prorsus hebetem & imperitum, simul ea exierit, negare ausurum existimant. Quid porrò faciendum iis censeam, qui sic Latinam linguam didicerint, in præfatione *Propædiæ* nostræ *ad Logicas & Rheticas acroases*, quæ Grammaticæ editionem Deo propitio propediem excipiet, explicatum Lector inuenies. Interea vale, & hæc boni consule.



DE

DE RVDIMENTIS GRAMMATICÆ.



1189 Et euanescunt in cogitationibus suis. (secro,
1190 Quocirca Mecænates meos supplicibus precibus ob-

Mi

1157 Mi degnerò d'interrogarli.
1158 In che confidenza fōdati così sopra modo amino questa setta
1159 O via, ditemi per cortesia che spoglie.
1160 Saccenti e valenti riprensori hauete ottenuti.
1161 Mētre così corraggiosamēte tāti motti star lasciaste fuora
1162 Contra quanti commettono cos'alcuna alla posterità.
1163 Con che applausi sete stati riceuuti in questo
1164 Giuoco e lotta di riprendere continuamente altrui?
1165 Che cosa con gl'artificij e raggiri, con le burle e risate, (to
1166 Con i ghigni, fra tāto nō poco facendo'l grugno da cane adira
1167 Che cosa finalmente mentre pian piano à far i versi del bue e del lione.
1168 Con le puntura del biasimare e vituperare in tutte le maniere erate stimolati, hauete conseguito?
1169 Allegramente che cosa mormorate fra' denti.
1170 Meglio sarebbe nō hauermi giamai īsistolito ò vero īpiagato.
1171 Non sono indarno i miei interrogatorij. Perche
1172 Con i lacci & inuiluppi d'essi intrigati
1173 Ne far motto, ne tanto poco aprir la bocca ardiscono.
1174 Però io poiche storditi niente assegnano,
1175 In fauor loro dall'altro canto qualche cosa discorrerò.
1176 Cioè quei Mulattieri al manico dell'aratro
1177 Più pronti ch'alla professione delle lettere
1178 Mentre li mediocri errori altrui aggrandiscono.
1179 Mentre che questo prologo in parte esser di suono differente, e quel proemio
1180 Parimente ignobile, e quell'altro esser giunta souerchia.
1181 Mētre che questa circōlocutione & anco quell'altra clausula,
1182 E di più quella consequenza secondo'l ronzino
1183 E la censura sua essere stroppiate appresso di se concludono,
1184 Che altro quiui danno ad intendere se non la loro immōditia
1185 E ch'essi per tutto i suoi escrementi sfiatono?
1186 Questo dunque è l'essito di quest'atto.
1187 Mentre ad altri Illustri questi tartaglioni s'apparecchiano ad imprimere note d'infamia,
1188 La loro propria secchezza e gonfiatura suentolano.
1189 E suaniscono ne' pensieri loro. (supplico.
1190 Per tanto i fauoreuoli Patroni miei con humili preghieri

1191 Ne stomachentur, si qui neoterici cauillatores
1192 Hanc meam ianuam suis probris sint pulsaturi,
1193 Eamque rudibus, vt fuliginosam inconditamque farraginem inculcaturi.
1194 Forsan enim quod deuium est, emendabunt.
1195 Sin secus, nec dum ægre perpetiar:
1196 Aliquamdiu vtcunque cornua reprimam.
1197 Quota enim est hæc, vt sospes inter tot aquilas periclitantes sit phænix?
1198 Quanquam ni resipiscant, næ ipsi vapulabunt,
1199 Fustibus & flagris; vtpote quibus propediem

Tincta Lycambæo sanguine tela dabo.

Peroraui.

1200 Læti completi labores.

Che


1191 *Che non si piglino à sdegno, se alcuni moderni malignanti*
1192 *Questa mia porta con le lor maledicenZe batteranno.*
1193 *E con de' bastoni com' vn affumicata e sconcia massa la calpesteranno.*
1194 *Perche forse quello, che suia dal dritto sentiero, emenderāno.*
1195 *Caso che nò, ne anche me l'haurò a male.*
1196 *Per qualche tempo com' vnque si sia riprimerò le corna.*
1197 *Poiche qual è questa Fenice che sia salua tra tante aquile che corrono rischio.*
1198 *Benche se non si rauuedono, certo essi leueranno delle botte*
1199 *Con de bastoni e flagelli, come quelli à quali frà pochi giorni*
Darò l'arme tinte nel sangue Licambeo. Hò finito di ragionare.
1200 *Liete o gustose sono le fatiche adempite.*

MARIANGELI A FANO BENEDICTI AVCTARIVM

Ad Grammaticam Philosophicam eiusq; Rudimenta.

In quibus præter illa, quæ de literis Latinis nouè disputantur, Grosippi sententia de Lexicorum Latinorum virtutibus ac vitijs, quæq; ratio in conficiendo linguæ latinæ Thesauro tenenda sit, distinctè exponitur.

Accessit in Grosippi Grammaticam, Paradoxa, Nominum & Verborum Paradigmata, inque hoc ipsum Auctarium accuratissimus Index.



MEDIOLANI,


Ex Typographia Io: Baptistæ Bidellij.
M. DC. XXIX.

Imprimatur

Fr. Paulus Maria Ritius Commiss. S. Officij Mediol.

Hier. Septala Can. Ord. Pœnit. pro Illustrissimo Card. Archiep.

Visum pro Excell. Senatu. Saccus &c.



Illustrissimo Viro

D. HIERONYMO DE SAGARRAGA

Senatori Regio & Sanctioris Consilij in Insubribus.

MARIANGELVS A FANO BENEDICTI S. P. D.






AM ipsi octodecim sunt anni, cum in hanc nostram Insubriam appulsus, ea abstinentia, integritate, religione ac sanctitate ius reddidisti, vt te non aliter ac reliquias aurei sæculi omnes colant, ti-

bi linguis animiſque faueant, ac proſperrima quæque augurentur, & ex quocumq; honorum tuorum incremento, & acceſſione dignitatis maximum ſibi fructum capere videantur. Ego priuato prætere a nomine tibi me plurimum debere agnoſco, cum patrem meum τον μακαρίτην minime vulgari beneuolentia dum vixit fueris complexus, & vita functo integritatis, fidei & officij teſtimonium prolixè impertiri ſoleas. quæ vtraque res mihi ad Illuſtris Viri *Paſcaſij Groſippi* gratiam ſuffragata eſt, vt & bibliotheca eius meo more ac modo vti, & ipſum quoties vellem adire ac de literis conſulere poſſem. Ea occaſione ſatiſne vti ſciuerim, ex hoc arbitraberis ſpecimine, quod clariſſimo tuo nomini inſeribere mihi viſum eſt. Nec enim in eo quicquam inuenies, quin id vel ex libris Groſippi, qua ſcriptis, qua editis mutuatus ſim, vel ex viua voce mecum & cum alijs hominibus doctis, officij cauſa ſubin-


de ad eum visere solitis, differentis arripuerim. Etsi autem non fere inueniuntur Iurisconsulti, in Italia quidem nostra & in vestra Hispania, quibus quicquam operæ ad hoc literarum genus conferre libeat, quod ita hominem decet, vt *Humanitatis* ex eo nomen inuenerit: non tamen periculum est vllum, ne tibi literarium hoc munus sordeat potius, quam te demereat. Satis enim ornatissima illa Bibliotheca tua clamat, minime tibi remotum à politioribus literis esse ingenium, cum & veteres auctores omnes, & ex recentioribus vt quisque optimus censetur, in ea exstent, tuque aduentoribus tuis, viris literatis, facilè probes, te libros istiusmodi nequaquam in apparatu modo habere, sed quicquid subsiciui datur temporis, ijs voluendis auide tribuere. Accedit necessitudo illa, quæ tibi cum Grosippo per XIII. iam annos prope fraterna intercedit, cuius inter homines natione ac vitæ ge-

nere alioqui differentes cōciliandæ momentum aliquot in ſtudiorum ſimilitudine eſſe debuiſſe alij ſuſpicantur, ego autem planè ſcio, adeoque prorſus dubium non habeo, cum alia ingenij eius monumenta Theologica, Ethica, Politica & Hiſtorica inter libros tuos conſpicere, ijſque otium oblectare gaudeas, quin libenter iſta etiam, quę tibi offero, ſis cogniturus. Vale, vir Illuſtriſſime, meq; paterni erga te ſtudij & obſeruantię hęredem gratia, ac beneuolentia tua complecti perge.

Mediol. Kal. Iul. M. DC. XXIX.



AVCTARII ARGVMENTA.



1 DE genere hoc loquendi, *Necesse habeo monitore*.

2 *Doceor à te*, non idem est, ac *Tu me doces. Iohannes ab Austria & de Austria* rectè dicitur.

3 Nullus Genitiuus ab Adiectiuo regitur, nec ab vllo verbo.

4 De Syntaxi hac, *Petendum est pacem*. deque formali & materiali accusatiuo, qui à verbis regitur.

5 Nullum esse verborum Modum Potentialem nec Permissiuum.

6 *Scio quod est doctus* vel *sis doctus*. & *scio te esse doctum* indifferenter dici.

Quæque ſint virtutes ac vitia Lexici ſiue Theſauri linguæ Latinæ.


7 De Syntaxi *Viſum ire*, & *Viſum iri*. deque Nominibus Verbalibus, præcipueque Participijs.

8 De Relatiuorum, præcipueq; Reciprocorum ſyntaxi.

9 Annotationes in Aluarum de ſyllabarum quantitate.

10 De Verſuum Comicorum Dimenſione.





Illuſtriſſimo Viro

BALDVINO DE MONTE SIMONCELLO

MARIANGELVS A FANO BENEDICTI. S. P. D.



ON vereor, ne quiſquam eorum, qui te norunt (quis autem paulo humanior in Italia te non noſſet, tam illuſtri nobilitate virum, & Latinæ atq; Hetruſcæ eloquentiæ tot iam libris teſtatæ fama clarũ?) me parum in eo decorè facere inſimulet, quod cum Marti iam operis, & legioni claſſiq; pręſis, ad te de literis referre non dubitem. Sciunt enim omnes, te haud paulo rectius, quam Homericum illum Aſteropęũ. περιδέξιον ſiue *Aequimanum* aut *Ambidextrum* perhiberi, qui pari facilitate belli paciſq; artibus, armis & literis ad ætatis noſtræ ornamentum vti ſoleas. Mihi hoc præterea ſatis exploratum eſt, te quicquid otij tibi ſuppeditat in nulla re libentius conterere, quam in eo litterarum genere, quod nomen ab humanitate mutuatum eſt. Eius quippe rei pernoſcendæ occaſio

decem

decem abhinc mensibus Pascasij Grosippi nostri beneficio mihi obtigit: ad quem cum hospitio in hac vrbe nostra diuertisses, dignus fui habitus te tantum *Compellare virum, & dextra coniungere dextram*, atque adeo tuo aliorumq; doctissimorum hominum conuictu vti, ac quemadmodum mihi visus sum, *epulis accumbere diuum* Inde ex eo tempore præstantes illas animi & ingenij tui dotes colere non destiti, quodq; natura fert, vt quos ipsi probamus, ijs maximè probari nos velimus, aliquod mei erga te studij & amoris specimen edere iam diu constitui: Eo cõsilio nunc ad te mitto, quæ mihi Grammaticæ nouæ Rudimenta, nonnullaq; inonita ex eiusdem Pascasij Grosippi Aduersarijs à me collecta ac digesta ad prelum adornanti de capitibus quibusdam ad Latinæ orationis constructionem pertinẽtibus, commentari visum est. Quibus si non omnino operam me lusisse, sed pretium aliquod laboris a me factum censueris, erit cur mihi gaudeam, meq; minimè iam dubium mutuæ tuæ erga me voluntatis argumentum habere credam.

Nouæ ergo Grammaticæ auctor, vt nosti, pag. 131. clari in literis nominis viro solæcismi dicam impegerat ob ista eius verba: *Nos monitore necesse habemus*. Id vehementer Magistrum meum eiusdem docti viri disciplinæ alumnum pupugit: eaq; is re aduocationem magistro cõmodare annisus est, cum defenderet, non regularem in verbis illis syntaxin esse, sed figuratam, quippe in quibus cum præpositio *In*, tum substantiuum Nomen *Negotium* per ellipsin supprimantur, proinde ac si dictum foret: *Nos necesse negotium*, vel *necessarium opus in monitore habemus*. velut alter ille loquendi modus satis peruulgatus fidem facit *Nos monitore opus habemus*. id est, nostrum opus & labor est in monitore, vt monitorem scilicet habeam[9]: pro quo aliter dicitur, *Monitor nobis opus est*, idest, Monitor est illud opus, circa quod nos occupari conuenit. Et *Monitoris opus nobis est*. vbi Genitiuus obiecti significationem habet; velut auctor pag. 128. monuit, sicut in hoc Plauti Persa. *Non habui ei fidem argenti*. idest, non credidi, eum mihi argentum daturum. Ita opus monitoris,

siue de inueniendo monitore, nostrum nunc opus & labor est. Poeta in Triphallicis:

Nemo meo melius neruum tendebat Vlysse,
Siue illi laterum, seu fuit artis opus.

id est, siue laterum firmitas, siue ars & dexteritas quædam ad arcum intendendum requireretur. Plautino more dici etiam queat: *Monitorem nobis opus* vel *vsus est*, præpositione *Ad* vel *Circa* aut certo verbo *Esse* per ellipsin suppresso. quod tamen loquendi genus posteriores missum fecerunt. Sanctius quidem in Minerua negat Latinè dici, *Opus habeo monitore* vel *monitoris*. Sed Auctor noster eum falli demonstrat. Vtitur enim illo Columella argenteę ætatis scriptor, & Græcorum imitatione satis phrasis illa defēditur. Vtroq; enim modo Græci dicūt, ἔργον ἐστι, *opus est*, & ἔργον ἔχω τοῦτο *hoc opus habeo*. Mitto, quod nec ipso Tullio indignum esse hoc loquendi genus hic eius locus in 2. de legibus monere nos videtur: *Tamquam hoc operis habuerit, vt hanc nobis sedem efficeret ad disputandum.* Hoc enim perinde est, ac si dixisset: *Tamquam facere nobis hanc sedem opus hauberit*. Certum præterea est, *Vsum* & *Opus* promiscuè in eodem sensu dici. Virgil. *Nam nec erat corijs vsus*: idest, nulla vtilitas erat in corijs. Sallust. 1. histor. *Vinarii laniique quorum præterea vulgus in dies vsum habet*. id est, quorum vulgus quotidie opus habet, quibus quotidie vtitur. nihil ergo intercedit, quin bene latinè dictum putetur, tam *Opus*, quam *Vsum habemus monitoris* aut *monitore*. Sed in *Necesse* longe alia est ratio. cum ea constructio nec regulis artis, nec consuetudini bene loquentium sit consentanea. Si enim *Necesse* accipias pro aduerbio, vt vulgo solent, nullo genere minor erit dicti absurditas, quam si quis diceret: *Necessario habemus monitore*, vbi quid sit, quod habemus, intelligi non potest. sin autem quis concedat, Nomen adiectiuum esse, quod vir ille doctus vel ex Calepino suo discere poterat, quem ab Auctore nostro nullo numero haberi ridiculè indignatur: non potest nomen eius substantiuum in eo subaudire, nisi id alicubi à locuplete aliquo latinitatis auctore expressam ostenderit. Ellipsis enim est figura Lati-
ne

næ consuetudinis. nisi quis ergo doceat, latinos consueuisse eo modo loqui, recusare non potest, quid quod nec regulis, nec consuetudini est consentaneum, solœcismus censeatur. Itaq; minime dubium est, quin & ille σολοικίζειν judicandus sit, qui dixerit: *Multas arbores cadendum iri puto.* nam etsi hęc syntaxis ratione non destituitur, si ad ellipsin referatur, quasi esset: *Viam iri puto ad cadendum multas arbores*, quomodo auctor noster in hoc altero fieri docuit: *Multas arbores casum iri videtur*. quo exemplo promiscuè dici planum est, *Canes venatum ducere*, & *ad venatum* & *ad venandum*, similiterq; *Iuit oppugnatum vrbem* & *ad oppugnandum vrbem*: quia tamen nemo vnquam sic locutus est, vt in participijs eiusmodi passiuis præpositionem supprimeret, ipsum loquendi genus non minus consuetudini, quam regulis aduersatur, eaque re solœcismi notam ducit. quod omnes diligenter ac sine vitio Latinè scribere cupientes in primis meminisse Grosippus monet, ne syntaxi figurata freti, noua loquendi genera comminisci solutum sibi esse liberumq; perperam arbitrentur. Exempli gratia Latinæ consuetudini congruit, vt dicatur: *Homini id ætatis tantum onus imponere non audeo*. *Non te hominem id ætatis mentiri putet*. *Hoc noctis domo prodire non audeo*. In quibus *Ad tempus*, vel *Circa tempus* subauditur, velut ex alijs Plauti ac Ciceronis locis discimus. Similiter dici solet: *Venit id temporis, vt retinendus esset*. vbi *Negotium* supprimitur, vt *Negotium* vel *Res temporis* pro *Tēpus* ponatur. Non tamen solęcismi crimen effugerit, si quis dicat cum Tacito, *Hominem id auctoritatis*, vel *id sapientiæ, talia designare turpe est*. Etsi enim dicas *Id sapientiæ*, valere *eius sapientiæ*, rationem tamen locupletiū scriptorum auctoritas deficit. Cęterum quod doctissimus Aluarus vix credit futurum tempus in participijs passiuis in *Dum* exeuntibus & cum verbo substantiuo positis significari, de eo vt subdubitem facit hic Cęsaris locus in 1. belli ciuilis: *Misericordia ciuium, quos interficiendos videbat*. Nam hic verbum *Esse* supprimi satis planum est. neque vllus relinquitur dubitandi locus, quin *Interficiendos esse*, non sit aliud, quam *Interfectum iri*. quo quidem non *debi-*

tum

tum offitium, aut *necessitatem*, quod perperam Aluarus sibi persuaserat, sed futurū tēpus significari tam clarū est,
Quam Solis radij esse, olim cum sudum est, solent.
Vale literatæ nobilitatis decus, facq; vt Milesiæ tuæ, quod expectare nos iubebas, tandem exeant, & ab omnibus lectitari possint. Mediol. postrid. Kal. Ian. anni ineuntis M.DC.XXIX.

Nobilissimo & Ornatissimo viro ALBERICO SEPTALIO IVRISC.

MARIANGELVS A FANO BENEDICTI. S.D.



Cis mirari multos ac negare satis intelligi posse, quod Grosippus in verbis passiuis, cū præpositione *A* vel *Ab*, & subiecto Ablatiuo constructis, rem agentem significari neget. Satis quippe perspicuè rem agentē apparere, si dicam: *Ego à te doceor*, cum sensus sit, *Tu me doces*. Verum ijs, qui sic disputant, statim regerere licet, nō minus verborum illorum hunc esse sensum, *Ego à te disco*, aut *de te fio doctior*. in quibus verbis rem agētem nec ab vllo verbo passiuo, nec a præpositione significari planū est. Similiter cum dico *Tu à me amaris*, non mea magis, quam tua exprimitur actio, cum exponere sic liceat, *Tu à me amorem habes, tu es mihi in amoribus*. Rectè proinde in Propædia Logica Grosippus monet, accuratè rationem habēdā esse, quid formaliter & ex se, quid materialiter, & ex euentu seu per accidens, oratio significet. Hoc quippe fortuitum esse & accidentarium, quod verba hæc *Tu à me amaris*, sic explicētur *Ego te amo*, cū non minus alia ratione qui velit, ea explicare possit. Ex ipsa vero verborum vi hunc esse illorum sensum: *Tu ex parte mea amaris, hinc amaris*, ex ea scilicet parte aut loco, vbi ego sum. Voces enim quemcumq; locum significantes, pariter in *Loco rationis*, & in *Loco rei* vsui esse, hoc est, tum in vero loco

proprie

propriè dicto, tum in eo, quem per Analogiam pro loco mente concipimus. Iam voces *Vnde, Hinc, Inde, Nusquã, A, Ab, De, Ex*, propriè significant locum, à quo actio aut passio aliqua proficiscitur: per similitudinem vero Caussas, Subiecta, Adiuncta, Totum, Partem, præcipueq; Tempus, à quo quid cæpit. Hoc pluribus exemplis in eadem Propædia demonstratum nosti: quorum pauca tibi in memoriam reduci, minimè spero ingratum habebis. Si ergo dicam: *Vnde fuit Hannibal? Indidem vnde & Hasdrubal*, nimirum *Carthagine, à Carthagine, de*, vel *ex Carthagine*. *Vnde exsulauit Ouidius? Roma* vel *Patria*, vbi præpositio subauditur. *Vnde scripsit? De Ponto*, vel *ex Ponto*. In istis Locus propriè dictus: Sed in ijs quæ subijciam, locus Imaginarius aut Tropicus significatur. *Vnde est tabellarius. A patre*, tamquam à loco, in quo est pater. Similiter *Missus est à patre*, locum seu partem, non rem agenté, significat, sicut in sacris: *Spiritus Sanctus, quem Christus misit à patre*. *Vnde dabitur mihi viaticum? A me dabitur*, vel *Hinc dabitur, A me dabo*. Liuius: *Plures ab Romanis equites ceciderunt*. idest, à parte Romanorum, sicut *à Cæsare allata sunt literæ*, pro literæ Cæsaris. sicut *Reus à Milone*, pro Milonis reus, *Fulgor ab auro* pro auri fulgor, *Seruus à milite* pro Militis seruus, *Pars de mœnibus* pro mœnium pars. Cic. *Diligentia à me expectatur*. idest, alij hinc à me diligentiam expectant. Plaut. *Gutta à me auferri non potest*. idest, tu guttam hinc à me auferre non potes. Idem: *Decet id abs te impetrari*, hoc est, me inde à te id impetrare. Liuius: *Ab Latinis res repetitæ*, non significat Latinos res repetijsse, sed Romanos inde à Latinis. Verum quidé est, in passiuis verbis nonnumquam agétis rei significationem esse, sed id fit per Accidens, quoniam Caussa agens, siue princeps, siue administra, aut instrumentalis, tamquam Locus, à quo motus principium est, concipitur, vt: *A Scipione victus est Hannibal*. Sed id non minus Actiuis verbis contingit, vt: *A Scipione cladem accepit Hannibal*. *Ab Acchille perijt* vel *occidit Hector*. Inde nimirum, id est, à parte vel loco Achillis, tamquam à caussa efficiente, profectus est motus, nempe cædes aut casus. Sic in Ithyphal-

phallicis habemus: *Membrum quæritis, vnde procreamur.* quomodo Hyginus in fabulis: *Gladius vnde se Aiax interfecit.*

Ouid. *Pectora traiectus Lyncæo Castor ab ense.*

Idem: *Neue peregrinis tantum defendar ab armis.*

In quibus causa instrumentalis significatur, vnde velut à Loco effectus cæpit. quod ipsum similiter in materiæ significatione vsuuenit. *Vnde casa ista est composita? Luto* vel *De luto, ex Luto.* Curtius lib. 8. *Terra lini ferax, inde plerisque sunt vestes.* Sic *Vnde creuit Roma? Albæ ruinis,* seu *de ruinis,* aut *ex ruinis.* Totum quoque vt locus concipitur in isto: *Hic inde est, de illo grege, de illis* vel *ex illis: Duo fratri meo sunt filij: inde maiorem adoptaui mihi. Versus de Phænissis* siue ex tota Comædia Phænissarum. *Nihil de sacro, nihil ex publico attigi,* idest, nullam partem ex toto sacro aut publico. *De die conuiuia facere,* idest, inde à parte totius diurni temporis. *Non mihi partem istinc posco de isto vidulo.* pro partem totius viduli. Subiectum similiter, vt: *Vnde emisti hos captiuos? Emi de prӕda de quæstoribus.* Vbi prius *De* Totum, posterius Subiectum notat, cum serui sint adiunctum domini. *Quæsiui de illo,* pro, *ex illo,* tãquam notitiæ subiecto. De Tempore notius est, quam cui verba debeant impendi. quis enim nescit *Inde, Hinc, Dehinc* & *Deinde* Tempus, à quo motus principium habet, significare? in quem modum Voces quoq; Locum, in quo quid est, significantes, ad Temporis notationem transferuntur, vt *Vbi* valeat Cum, *Hic* & *Ibi* verò Tum. Plaut. *Vbi voles pater esse, ibi esto.* pro quando Voles, tum esto. sic *Erit vbi vos vlciscar locus.* pro tempus cum vlciscar. *Non est nunc narrandi locus.* pro tempus quo narretur. Sed longum nimis sit omnia, quæ Propædię Logica & Rhetorica suppeditant, hoc loco iterare. Illuc ergo reuertor, vnde abieram. *Ego à te doceor,* formaliter non est idem, quod tu me doces, sed ego istinc, siue à tua parte doctrinam capio, seu doctior fio. nã & p̃positioni *De* locus est, vt Plaut. *Alios de te fieri doctiores,* id est, de te discere. Idem Pseud. *Aufereturne id prӕmium à me, quod promisi per iocum?* SI. *De improbis viris auferri prӕmium & prӕdam decet.* Vbi

videmus,

videmus, *Auferetur à me* non esse aliud, quam *Auferetur de me*. Pari modo *tu à me amaris*, formaliter non rem agentem, sed partem siue locum significet, ac si esset: Tu hinc a me amorem habes, vel ex mea parte amaris, quomodo Catullus nos interpretari docet his versibus:

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum à me Lesbia amata mea es;
Nulla fides vllo fuit vmquam in fœdere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

Similiter quod est apud Terent. Phorm. *Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia*: id valere *ex parte illius*, hæc nos Cæsaris verba docent lib. 1. belli ciuil. *Pauca apud eos locutus, quod sibi à parte eorum gratia relata non sit pro suis in eos maximis beneficijs, dimittit omnes incolumes.*

Iam nec illud satis probatur multis, quod de aduerbijs motum ex loco significantibus Grosippi eiusdem tradit Grammatica, *Iohannem de Austria*, perinde atq; *Ab Austria* recte Latinè dici, suppresso nomine *Ortus*, vel *Oriundus*, vel *natus*, vt idem sit, quod *Iohannes homo Austrius* vel *Austriacus*. Sed quàm illi in Latinis auctoribus hospites sint, nihil negotij sit magno testimoniorum cumulo demonstrare, ex quibus planum fit veteres significando motui ex loco Ablatiuis, cum prępositionum aliqua, vt *A, Ex, De*, siue expressa, siue suppressa, vti consueuisse. Virgil. *Pastor ab Amphryso*, pro Amphrysius. Liuius: *Turnus Herdonius ab Aricia*, pro Aricinus. Cicer. *Homo obscuro loco*. Plaut. *Adolescens de summo loco*. Hygin. *Theseus ab Athenis* pro Atheniensis. *Amphidamus de Arcadia*, pro Arcas. Iterum Cic. *De Gyaro scripsi*, pro ex Gyaro. Et Plaut. Trucul. *Tres adolescentes, Rure vnus, alter vrbe, peregrè tertius*. Terent. *Mercenarium a villa vidi*. Similia horum passim sunt obuia. Illud tamen insolentius non nemini videtur, quod Paradoxa literaria pag. 59. in Plauto reponendum docuerunt: *Non sum Animula*, pro non sum ab Animula Apulię oppido. Sed neq; huius generis non plurima leguntur. Cęsar lib. 1. ciuil. *Reducitur ad eum deprehensus ex itinere Cn. Magius Cremona pręfectus fabrum Pompeij*. pro Magius Cremonensis

nensis, ens à Cremona, vel de Cremona ortus. Sic lib. 3. ciuil. *Cęsar desiderauit C. Fulginatem Placentia, Agrauium Puteolis*. Pro Placentinum & Puteolanum. Plaut. Merc. *Video hospitem Zacyntho*, pro Zacynthium, à Zacyntho. Et Asin. *Periphanes Rhodo, mercator diues*. pro à Rhodo, Rhodius. Propert. lib. 4. *Erat Crotalistria Philis*, pro à Philis, vrbe & insula Nili. Ibid. *Tibia Mygdoniјs libet eburna Cadis*, pro à Cadis vrbe Mygdoniæ, etsi in veteribus membranis non *Cadis*, sed *Modis* legi in Grosippi codice annotatum vidi, quod & rectius puto. Atque hinc opinor intelligis nihil à Latinè loquentium consuetudine abhorrere, si quis te *Albericum Septala*, aut *de* vel *à Septala*, vel *Septalium* compellet. quomodo me quoque *Mariangelum à*, vel *de Fano Benedicti* profiteri soleo, quod castellum Nouocomensis agri, vbi D. Benedicto fanum fuerat constitutum, ex quo & vulgo *S. Benedetto* vocatur (velut monumenta vetera fidem faciunt) maiorum meorum iuris fuerit. Sed quid ni ego ex penitis faucibus despuo *Fuerit*, verbum nihili, cui lumbos defractos velim?

Omne ego pro nihilo esse duco, quod fuit, quando fuit.
Tamquam hominem quando animam efflauit, quid eum quæras, qui fuit.

Tu me, nobilissime iuuenis, quod facis, ama & Vale.



V. CLARIS.

PAVLO IOSEPHO MERONO

THEOLOGO ET PHILOLOGO PRAESTANTISSIMO.

MARIANGELVS A FANO BENEDICTI. S. D.



Ecutus tuum, Vir clarissime, consilium, quod nuper Romam discedens mihi dederas, Pascasij Grosippi ad Logicas, & Rhetoricas Acroases Propædiam diligenter legi, eiusque facti hoc nunc fero pretium, vt & Latinæ syntaxis fundamenta penitius perspiciam, & in bonorum auctorũ lectione minore negotio procedã. nec dubito vbi processu ætatis ad Philosophiæ aliarũq; disciplinarũ studiũ appulero animum, quin præsentes eiusdem Propædiæ vtilitates magis experiar, quod tu tantus Theologus ac Philosophus mihi futurum haud dubitanter confirmabas. Confido me rem tibi minimè ingratam facturum, si nonnullum eius, quod dixi, specimen tibi exhibeam. In ipso ergo velut aditu Propædiæ Logicæ, vbi de Terminis seu Vocibus agitur, Terminum simplicem esse didici vnicum vocabulum plurium *vim* habens, sicut *Nemo* valet hæc duo *Nullus homo:* & huius generis esse pleraque nomina Adiectiua cum Genitiuo casu posita, & omnia adiectiua neutra sine substantiuo posita. Itaque minime

iam

iam obſcura mihi videtur conſtructionis ratio in ijs loquendi generibus, vbi Genitiuus, quem Pphiloſophica Grammatica pariter apud Græcos & Latinos perpetuò à nomine Subſtantiuo, aut à Præpoſitionum aliqua regi cõtendit, ab Adiectiuo pendentis ſpeciẽ habet. Verbi gratia, *Demænetus eſt amans vxoris* Hic *Amans* nomen eſt adiectiuum, in quo ſubſtantiuum ſubaudiri neceſſe eſt, cum ratio poſtulet, vt vno Relatorum poſito ſimul & alterum ponatur. *Amans* igitur eſt *Homo amans*. quæ duæ voces vim habent nominis Subſtantiui, quod eſt *Amator*. Plaut. Pæn. *Siccine oportet homini amanti operam dare?* Et Pſeud. *Ne me perdas hominem amantem*. Ita planum fit, genitiuum *Vxoris* à Subſtantiuo regi. Sic *Parmeno eſt domini ſimilis* In Adiectiuo *Similis* ſubſtantiuum *Homo* ſub auditur. Duæ vero voces *Homo ſimilis* vnius ſubſtantiui nominis vim habent, vnde genitiuus *Domini* regitur, quaſi eſſet *Aſſimilator domini*. quæ ipſa in multis aliis eſt ratio, vt *Par, æqualis, ſeruus, ſocius, maritus, propinquus, vicinus, fidus, amicus, proprius, alienus, ſuperſtes, conſcius, contrarius, &c.* neque refert, quod ſæpe nullo Subſtantiuo nomine res per Adiectiuum ſignificata exprimi poteſt, cum rerum numerum verbis minimè exæquari libenter omnes philoſophi aſſentiant. Itaque cum legimus *Corpus patiens inediæ*, ſatis eſt nos intelligere in adiectiuo ſubſtantiuum aliquod ſuppreſſum eſſe, duabuſque vocibus vnam rem ſignificari, ac ſi foret, *Paſſor* ſeu *Tolerator Inediæ*. Sic *Memor virtutis*, pro *Homo memor* valet *Recordator*, *Liberalis pecuniæ* eſt *Largitor*. In Adiectiuis porro neutris plerumque *Negotium*, *Opus* aut *Factum*, Tranſcẽdentes voces ſubaudiri ſatis iam Grammatica Philoſophica demonſtratum vidiſti: quod genus ſunt iſta, *Triſte lupus eſt ſtabulis*, *Tantum fidei*, *multum diei*, *Parum argenti*, *hoc literarum*, *Id hominis*, *Id loci*, *Quid cauſæ*, *Quid mulieris vxorem habes*. Eſt autem *Negotium mulieris* idẽ quod *mulier*, ſicut *Res cibi* eſt *Cibus*. Plaut. Stich. act. 1. ſc. 1. *Virorum abſentum negotijs ſollicitæ ſumus*, pro de viris abſentibus. Cicero 2. ad Quinctum Frat. epiſt. 12. *Cal-*

 liſthe-

listhenem, & ad Philistũ redeõ : in quibus te video volutatũ. Callisthenis quidem vulgare, & notum negotium, quemadmodum Græci aliquot locuti sunt. Siculus ille, capitalis creber, acutus, breuis, Vbi *Negotium Callisthenis* ponitur pro *Callisthenes*, cuius dictio significatur esse vulgaris, cui multi Græcorum sint similes, cum aliter sit in Philisto. Sic *Res hominum & Deorum* pro homines & Deos dixit Virgilius: *O qui res hominumque Deumque Aeternis regis imperijs, & fulmine terres.* pro quo Horati*: *Diuosque mortalesque turmas Imperio regit vnus æquo.* Ouidius Omnia hominum negotia similiter, sed per ellipsin, pro omnes homines dixit: *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.*

Post atque haud multo, vbi de Suppositione præcipitur, Reduplicatiuam, seu Restrictiuam suppositionem in Scholis Logicis vulgo perhiberi inuenio; quæ vocem aliquam particula restrictiua seu limitante determinat, ac velut coercet, & ad certam totius partem adstringit. Eius generis particulas esse *Qua*, pro *A* vel *ex qua partem*, *Quatenus* pro Qua fine tenus, *In quantum*, *secundum*, *Ratione*, *Respectu*, vt: *Animal sentit, qua animal est, Homo quatenus homo ridet, Christus est filius Dauid secundum carnem*, vel *respectu* aut *ratione carnis*. Sed etiam præpositionibus *Ad*, *A* & *Ab* expressis, aut suppressis huiusmodi restrictionem solere significari, vt apud Sallustium: *modestus ad dominationem*, & *Sanctus alia*. pro Quod ad dominationem, quod ad alia attinet Virgil. *Omnia Mercurio similis* pro ad omnia. Idem. *Faciemque simillima lauro*, pro, ad faciem.

Horat. *Nec sæuis animum mitior anguibus.*
Pro ad animum, ab animo vel animo. Plaut. *Ab ingenio improbus* vel *senex*, *Ab armis valeo vt lupus, clunes infractos gero. A pecunia haud perbene valeo* Cicer. *Inops ab amicis. Ab equitatu firmus, ab exercitu instructus. à militibus & à pecunia imparatus.* Interdum *Quod ad* vel *Quantum ad* Latini dicunt eodem sensu, verbum *Attinet* per ellipsin supprimentes. Li-

uius

uius lib. 8. *Otium inde quantum à Volseis fuit*. id est quantum attinet à Volscis siue ad Volscos. Ouid.

Quantum ad te Theseu, volucres Ariadna marinas
Pauit in ignoto sola relicta loco.

Barbari porro ex *Quod ad* fecerunt *Quoad*, vt dicant *Homo mortalis est quoad corpus, non quo ad animum*. atque iste solæcismus duobus Varronis locis indoctorum. librariorum opera insedit lib. 7. de ling. lat. *Hæc sigillatim triplicia esse debent, quo ad sexum, multitudinem, casum*. Et 1. rei rust. 9. *Quoad culturam refert. vtrum terra sit macra, an pinguis*.

Iam quo loco de Forma sermo est, monet eadem Propædia solere Latinos Formam per Accusatiuum & Ablatiuum expressum aut suppressum, itemque Prępositione *Per*, *In*, *ex* aut *Cum* similiter, vel expressa vel suppressa significare. Dicunt videlicet Lætus lætitia, & Iratus iracundia, & Falsus falsimonia, & Honestus honore. Plaut. Pseud. *Vt mea lætus lætitia siet*. Et Curc. act. 4. sc. 3. *Non ego mediocri incedo iratus iracundia*. Et Bacch. *Multi quos censeas esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniys*. Capt. *Honore honestiorem me semper facit*; in quibus Præpositionem *Ex*, à qua regatur Ablatiuus, subintelligimus. Sed non minus Accusatiuo eamdem ad rem vsos suspicari libet, vt *Lætus Letitiam* dicerent, sicut in Plauto sunt *Aedes clara clarorem merum*, pro quo & *clarore mero* dici poterat. In verbis quidem videmus eos Atticorum more cognato accusatiuo, vel Ablatiuo Formam actionis significare solitos. Dicunt enim *Viuere vitam & vita, Seruire seruitutem & seruitute, Currit cursum celerem & cursu celeri, Ire iter & itinere, Ludere ludum & ludo, Gaudere gaudium & gaudio, Lætari lætitiam & lætitia, Precari aliquem preces, precibus, per precem & cum prece* (vt Liuius *lib. 9. Legati missi ad pacem cum precibus petendam*) *Pugnare pugnam & pugna, Saltare saltationem & saltatione, Dolere dolorem & dolore, Ridere risum & risu*. In quibus omnibus casus Formam significantes sunt

expressi. nam *lætitia* est forma læti, *Ira* irati, *Vita* viuentis, *Cursus* currentis, &c. In alijs casus per ellipsin supprimitur; vt *Pabuli latus ager*. Subauditur enim substantiuum *Lætitia*, à quo Genitiuus regitur. Sic *Integer vitæ*, subaudi Integritate, *Purus sceleris* puritate, *Peritus iuris* peritia, *Potens sui* potestate, *Cupidus vini* cupiditate, *Miser animi* miseria, *Auidus cibi* auiditate, *Memor tui* memoria (quomodo memoria memini & memoria oblitus. Plaut. Capt. act. 2. sc. 3. *Istuc ne præcipias, facile memoria memini tamen.* Trin. act. 4. sc. 3. *Tribus ne poterijs te memoria oblitum.*) *Similis alicuius* similitudine, *Cumulatus scelerum* cumulo, *Satur rerum* saturitate, *Onustus auri* onere, *Orbus auxilij* orbitate, *Plenus vini* copia, quod idem valet ac plenitudine, *Refertus nugarum* copia, *Abundans lactis* abundantia. Hinc porrò minimè magni negotij est, Syntaxeos rationem expedire in plerisque verbis cum Genitiuo cõstructis, si omnem genitiuum à nomine substantiuo regi meminerimus, tum omne verbum actiuum accusatiuo formam significante siue expresso, siue suppresso coniunctum esse. *Ango me animi* vel *Angor animi*. Subaudire licet *angorem*. *Excruciare se animi* cruciatum, *Fallit me animi* falsimonia siue error. *Desipere mentis* insipientiam, *Fastidire alicuius* fastidium, *Potiri hostium* potestatem, *Misereor tui* miseriam, *miseret me tui* miseria, *Pudet me facti* pudor, *Piget me laboris* pigror seu pigritia, *Tædet me illius* tædium, *Pœnitet dicti* pœna. *Agere furti* actionem, *Admonere periculi* monitum, *Non fallebar sermonis* falsimoniam vel errorem, *Meminisse alicuius* memoriam, *Studere alicuius* studium, *Inuidere alicui rei alicuius*, inuidiam, sicut Horatius —— *nec illi Sepositi ciceris, nec longæ inuidit auenæ*. & Greci φθονῶ σοι εὐτυχίας subaudi φθόνον. nam & Græcę Syntaxis regulæ ad hunc modum corrigendæ sunt. Simul tamen verum est, quod Grosippus in Propædia de Causa præcipiens monet, Causam siue suo vocabulo expressam, siue *Gratia, Nomine, Ergo, Opere, Facto, Merito*, aut alijs vocibus significatam, alias disertim poni,

alias

alias per ellipsin reticeri, indeque Genitiuum regi: eiusque ellipseos coniecturam ex eo duci, si Genitiuus per Accusatiuum aut Ablatiuum cum præpositionibus *Ob, In, Ad, Ab, De, Ex*, causæ significationem habentibus, iisque vel expressis, vel subauditis explicari possit, vt *lator & latus laborum*. Subauditur *Causa* vel *Ergo* vel *Gratia*, cum eodem sensu dicere liceat *laboribus, ex laboribus, ob labores*. *Indoluit successorum Mineruæ*, subaudi *Causa*, quia est *ob successa, successis* aut *ex successis*. Bona scilicet Mineruæ successa dolorem efficiunt.

Notat autem Grosippus noster idem ipsum in voce *Causa* apud Latinos, quod apud Græcos in Aduerbio seu Præpositione ἕνεκα vsuuenire, vt videlicet cum verbis & nominibus siue expressa, siue suppressa Genitiuum regat, & alias vim Præpositionis *Propter* habeat, alias restrictionem vel certam partem significet, ac si esset *Ad, A, Quantum ad*, seu barbarè *Quoad*. Tamquam si dicam: *Hoc vnum bene fecit, etsi aliarum rerum est improbus*. Subauditur *Causa*, quod nonnumquam Cicero exprimit. Vtrouis autem modo explicari potest, siue *Propter res*, siue *Quantum ad alias res attinet*. qui duplex sensus similiter erit, si præpositione A, causam significante vtamur hoc modo: *Ab alijs rebus est improbus*, vel per ellipsin, *Alijs rebus*. quæ loquendi genera passim sunt obuia. Ita plana est Syntaxeos ratio in istis: *sanus mentis* & *animi, sanus animo* & *ab animo*, & *sanus animum*: *Falsus animi, miser animi, suspensus animi, Vacuus rerum* & *rebus, Nudus opum* & *opibus, Terra ferax vuarum* & *vuis, Notus ingenij, ab ingenio* & *ingenio, Dignus laudis, ad laudem* & *laude, Cassus luminis* & *lumine*. Nimirum Ablatiui à præpositione Causam vel Partem significante, Genitiui a nominibus *Causa, Gratia, Ergo* (id est, *Opere* vel *Facto*) *Nomine*, aut *merito* reguntur. Causa vero significat omne id, quo vel præsente, vel absente & permittente, seu non impediente, quid fieri videtur, quam *Causam Inficientem* & *Otiosam* Grosippus vocat, vt in hoc Plauti: *Mea causa saluus sis licet*. pro quo idem alias, *Per me saluus sis licet*. id est,

quod ad me attinet, non impedio quin sis saluus. Quoniam vero vox *Causa* etiam rem significat, quæ in disceptationem venit, eo fit, vt in verbis iudicialibus subaudiatur, ac suppressa Genitiuum regat, vt *Accusare furti*, nempe Causa, ob furtum, de furto, *Insimulare cædis* & *de cæde* *Postulare maiestatis* & *de Maiestate, Liberare aliquem culpæ, culpa, à culpa, Absoluere sceleris, scelere, de scelere, Adstringere* vel *Alligare se furti* & *furto, Damnatus voti*, & *voto*, seu *de voto. Condemnare sacrilegij* & *de sacrilegio, Perdere aliquem capitis:* vbi *Causa* vel *Crimine* *Capitis* est, causa vel Crimine Capitali. *Ergo* meministi monere Grosippum, esse ablatiuum à Græco ἔργον, idemque valore, quod Opere siue Facto, vt *Amoris ergo* sit Facto siue Causa Amoris, quod scilicet Amor fecit, siue cuius causa fuit. Ita Plaut. Bacchid. *Metuo ne Phœnix factis tuis fiam*, id est, tui causa, propter te. Et Mercat. *Tu quemuis confidentem facilè tuis factis facis*. nam *Facere* significat Caussam esse, vt apud eundem in Bacchid.

Id mihi haud vtrum velim licere intelligo:
Ita bellus hospes fecit Archidemides.
Ita feci vt auri quantum vellet sumeret.

De *Nomine* pro Causa satis multa in Paradoxis Literarijs dicta puto. Ciceronis tamen locum non possum, quin recitem ex Vatiniana: *Vt tu me carum esse dixisti populo non tam causa mea, quam Reip. sic ego te dico esse odio ciuitati non tam tuo, quam reip. nomine*. Eiusdem est, *Damnatus nomine coniurationis*, vbi *Nomine* per ellipsin omitti poterat, sicut etiam in isto: *Me tibi nomine negligentiæ suspectum esse doleo*. Rectè enim dicitur *suspectus negligentiæ, negligentia, de negligentia, super negligentia*, & *in negligentia*. Præcipuè tamen *Nomen* id videtur significare Causæ genus, quod non tam rei causa est, quam esse præfertur. Virgil. *Coniugium vocat: hoc prætexit nomine culpam*. id est, suum cum hospite concubitum excusat prætexto coniugij nomine. Nomen ergo coniugij non tam causa est, quam prætextus cõsuetudinis Aeneæ cum Didone. Postea ad significandum

quod-

quoduis causę genus vsui esse cępit, quomodo & *Gratia*, cui scilicet res effecta refertur accepta. Pacuuius: *Quem famæ gratia ante omnes nobilitat viros*. id est, qui propter famam seu famæ ergo est nobilissimus. pro quo & *Famæ merito* dicere poterat, vt Ouid. in Sapphus epistola: *Et formæ meritis tu mihi Phœbus eris*. id est, formæ causa, seu propter formam, siue vt Plautus amat dicere *Virtute formę*. Sed quid ago? quin manum tollo de tabula, nisi patientia tua abusum merito me existimari nihil pensi habeam. Vale virorum optime, mihiq; virtutis ac doctrinę tuæ admiratori fauere perge. Mediolano Kal. Martias anno 1629.

AVGVSTINO
MASCARDO
VIRO CLARISSIMO
MARIANGELVS A FANO BENEDICTI. S.D.



QVo tempore ingenij tui monumenta, penes Grosippum vidi, ex eo cum admirari tè & colere cœpi, tum mei erga te affectus tibi declarandi occasionem mihi euenire magnoperè concupiui. Nunc ipsum ergo prelo subiecturus, quæ ille nuper de quodam loquendi genere subtiliter disseruit, minime ingratum tibi facturus videor, si eius disputationis Iudicem te capiam, quem ipse Grosippus elegantissimè Latinè scribere agnoscit, nec temere quemquam hac ætate siue soluta, siue nu-

nu-

ſiue numeris adſtricta oratione te priorem inueniri cēſet. Tu, Vir præſtantiſſime, quod à me fit, boni pro humanitate tua conſules, meq; mutua tua beneuolentia dignum arbitraberis. Vale.

De ratione Syntaxeos in illo, *Petendum eſt pacem*.

Ex Paſcaſij Groſippi Aduerſarijs.



Mnem accuſatiuum à Præpoſitione, aut à verbo actiuo regi certum eſt. Hic nulla eſt præpoſitio expreſſa aut ſubaudienda, à qua accuſatiuus *Pacem* regatur. Neceſſe eſt ergo regi à verbo actiuo ſiue expreſſo, ſiue ſuppreſſo. Hic porro nullum verbum actiuum exprimitur. Itaq; ſuppreſſum ſit ac ſubaudiri debeat, neceſsū eſt. quod autem illud ſit verbum, hinc poteſt intelligi. Omne verbum finitum habet pro ſuppoſito nominatiuum expreſsū aut ſuppreſſum, eumq; vel φωνῇ voce, vel δυνάμει poteſtate aut virtute, ſiue vt Scholaſtice loquar, vel formalem aut actualem, vel virtualem aut potentialem. Nominatiuus virtualis eſt verbum Infinitum nominis loco poſitum. Talis hoc loco ſubauditus eſt *Petere pacem.* quod idem eſt ac *Petitus* vel *Petitio pacis,* pro quo fingamus licet vocem *Petimen* vel *Petimentum*. ſic plana exibit conſtructio, ſiue dicas *Petitus pacis eſt petendus,* ſiue *Petitio pacis eſt petenda,* ſeu deniq; *Petere pacem* aut *Petimentum pacis eſt petendum.* non aliter quam *Petere pacē eſt neceſſarium.* vbi *Petere* manifeſtè vim Nominatiui habet. quo autem modo verbum infinitum ſiue Infinitiui modi loco nominis ſubſtantiui poſitum regat accuſatiuum, Grammaticæ pag. 36. & Parad. pag. 7. & 8. expoſui. Sed ne inſolentior videatur cognati nominis aut verbi infiniti repetitio, audiatur Priſcianus, cuius lib. 18. verba ſunt.

Si quis hæc impersonalia velit inspicere penitus, ad ipsas res verborũ referuntur,& sunt tertiæ personæ, etiãsi prima & secunda deficiant:vnde Participia inueniturũ: *Curritur cursus*,& *Decurso spatio*.Et mox:Possunt habere intellectum nominatiuũ ipsius rei,quę in verbo intelligitur.nam cũ dico *Curritur*,Cursus intelligitur,& *Sedetur* sessio, & *Ambulatur* ambulatio.sic & similia.quęres in omnibus verbis etiam absolutis necesse est,vt intelligatur,vt *Viuo vitam*, & *Ambulo ambulationem*,& *sedeo sessionem*,& *Curro cursum*.

Nimirum omne verbum actiuum aut formalem, aut materialem accusatiuum regit. *Formalis* est, qui non potest in verbo non intelligi, cum res ipsa verbo signficata habeat ab illo essentiam seu naturam suam, vt sit scilicet quod est. Ita *Gaudium* est formale gaudentis, *Risus* ridentis,*Insania* insanientis,*Error* errantis. Tales ergo accusatiui perpetuo intelliguntur in verbis sine accusatiuo positis,vt *Gaudet*, *Ridet*, *Insanit*,*Errat*. Exprimuntur autem,quoties modus agendi significatur, vt *Gaudet gaudiũ immodicum*, *Ridet risum ineptum*, *Insanit insaniam solemnem*, *Errat errorem turpissimum*. quorum significatio est. *Gaudet immodicè*, *Ridet ineptè*, *Insanit solemniter*, *Errat turpissime*, *Materialis* accusatiuus est,quo obiectum denotatur,seu Materia,circa quam actio occupatur,vt *Rogo te*, *Precor te*, *Rideo te*,*Eo viam*, *Peto pacem*. Vtriusque porro accusatiui,hoc est,tam formalis,interni & cognati, quam materialis,externi & alieni vim ac potestatem habet verbum infinitiuum nominis locum positum. nam *Incipit insanire* valet,Incipit insaniam:pariterq; *Insanit insanire* est insanit insaniam. *Desiste petere*, pro petitionem. *Disce silere* pro silentium.*Noli errare*,pro Errorem.Plaut.Bacc. *Hic vereri perdidit*.pro Verecundiam. Horatius: *Reddes dulce loqui,reddes ridere decorum*. pro reddes dulcem locutionem,& decentem risum. Similiter formali accusatiuo rectè dixerimus:*Ridet ridere decorum*,*Ludit ludere insolẽs*. pro *Ludum insolentem*,quomodo alibi Horatius loquitur. Sic certè *Properat properare citissimum* pro cito properat,

Plauti

Plauti imitatione dicetur, cuius verba sunt Aul. act. 2. sc. 2. *Nunc domum properare propero*. Idem Pseud. act. 5. sc. 1. *Pergitisne pergere?* pro perrectionem. quid ni ergo de candidato consulatum petente recte dixero? *Petit petere minime ambitiosum*. pro petitionem minimè ambitiosam, siue *Petere eius, quod petit, minime ambitiosum est*. In Hebraico quidem consuetudo fert, vt dicatur *Ambulat ambulare*, pro ambulationem, *Morieris mori*, pro mortem, *Venire veniet*, pro aduentum, *Expectaui expectare*, pro exspectationem. Pariter apud Græcos legimus dictum *βῆ δ' ἰέναι*, *Abijt autem abire* pro abitionem, *ἔφη φάναι*, *Dixit dicere*, pro dictum. Sed & Germani mei eodem modo *Ich Vuil ghen ghen*, Ibo ire, pro ibo itum siue itionem. nec dissimiliter Cicero 1. Acad. *Confestim ad eum ire perreximus*. Et in Arato: *Post hanc ore fero Capricornus vadere pergit*. Et Virgil. *Obseruans, quę signa ferant, quo tendere pergant*. Et Terent. *Domum ire pergam*. In his omnibus accusatiui formalis loco verbum Infinitum ponitur. nam *Pergere, ire, tendere, vadere* sunt synonyma, vt sensu nihil differant, *Perrexit pergere, perrexit ire, perrexit vadere, perrexit eo tendere*. quo pacto etiam in hoc Terentij formalis accusatiuus à verbo regitur: *Color eius signum pudoris indicat*. Nam *Signum* ponitur pro *Indicium*, eoque Forma verbi *Indicat*, non obiectum exprimitur, Sic *Sentire*, hoc est Audire, *auditum* Lucret. lib. 3. dixit: *neque aures Auditum per se possunt sentire, nec esse*, quo etiam libro *Moueri motum* legimus: *Primordia conclusa mouentur sensiferos motus, quos extra corpus in auras Aeris haud possunt post mortem eiecta moueri*. Raro autem vsuuenit, vt idem verbum simul formalem & materialem accusatiuum regat: cuius rei exempla sunt apud Catonem de re rustica: *Iane pater te bonas preces precor, vt sis mihi volens propitius*. Vbi in *Precor te* est accusatiuus externus, alienus, & materialis, siue obiectiuus. In *Precor preces*, est internus, cognatus & formalis, qui semper in verbo *Precor* intelligitur, etsi numquam exprimatur. Hoc autem loco visus est exprimendus. quoniam diuersa sunt

precum

precum genera. Sunt enim *Preces bonæ*, quibus bona à dijs petuntur; sunt *Malæ*, quibus mala alicui imprecamur, quæ & *Diræ* & *Thyestææ preces* vocantur ab Horatio. Solent autem Latini Materialem accusatiuum in Datiuum conuertere, quoties verbum actiuum, formalem siue expressum, siue suppressum regit. Verbi gratia, apud Virgil. *Optime Graiugenum, cui me fortuna precari Voluit*. Subaudimus accusatiuum formalem *Preces*. quomodo *Seruire alicui*, subaudito interno accusatiuo *Seruitutem*. aliter dicimus *Seruire aliquem*. Turpil. *Quæ mulier volet sibi suum amicum esse diutinum, modice atque parce eius seruiat cupidines*. Senec. *Assuescamus paucioribus seruis seruiri*. Plaut. *Matronæ est vnum inseruire amantem*. Sic in *Nocere alicui*, subauditur *Noxam* vel *Nocumentum*, cum aliter non male dicatur: *Nocere aliquem*. Plaut. *Iuro me nociturum esse neminem*. Sic in *Inuidere alicui* deest *Inuidiam*, cum alioquin rectum sit *Inuidere aliquem*: Ita in *Adulari alicui*, deest *Adulationem*. aliter enim *adulari aliquem* rectius dicitur. Nec aliter *Impedire alicui* dicitur subaudito Impedimentum. Varro 9. de ling. lat. *In vestimentis & ædificijs nouitati non impedit vetus consuetudo*. Sic *Misereri alicui*: subaudi Miserationem. Hyginus fabul. 58. *Cui Venus miserta est*. Quintilianus pater Declamat. 272. *An matrem accusari æquum est, cui misereri satis non possumus?* nec tamen dissimulare possum, rectius videri, vt *Miseret me illius*, sit Misericordia illius, aut Miseria illius miserum me facit, idest, me cruciat, vt animi, vel ab animo miser sim, & *Misereor illius*, sit Miser fio illius miseria: cui consequens est, vt *Misereor tibi*, valeat Tua causa miser fio, siue animi discrucior, sicut *Gratulor tibi*, *Gaudeo tibi*, *Rideo tibi*. Nec dubito, quin vt *Curare alicui*, frequenter veteres dixerunt, subaudito *Curam*, similiter *Amare alicui* dixerint, vt *Amorem* supprimerent, cum *Amator alicui*, pro *alicuius* in Plauti Milite extremo legamus. Etiam *Basiare* datiuũ adsciscit, vbi formalis eius accusatiuus exprimitur.

vt ſit *Baſiare alicui baſia*, quæ ipſa multorum aliorum eſt ratio, quæ enumerare longum ſit.

Iam nec illud non ſatis exploratum eſt, quodcumq; Nomen ſit verbi actiui appoſitum, idem eſſe paſſiui, cum verbi, tum participij ſuppoſitum, vt *Amo pecuniam, Amatur pecunia, Amata eſt pecunia, Amanda eſt pecunia*. Itaque cum *Curſus* vel *Currere* ſit appoſitum verbi *Currit*: recte dicetur: *Curſus curritur*, vel *Currere curritur*. Eadem eſt ratio in iſtis: *Propero properare, Properare properatur, Properare properatum eſt, & properandum eſt. Pergã pergere, Pergere pergitur, Pergere perrectum eſt, & pergendum eſt. Precor precari*, ideſt, preces. *Precari precandum eſt. Seruit ſeruire. Seruire ſeruiendum eſt. Petit petere. Petere petendum eſt*. Cic. de Senect. *Quam viam nobis ingrediendum ſit*. ſubaudi *Ingredi*. Si ergo dicam, *Ne inde audiamus verendum eſt*, Subaudis Vereri. Ita *Pergendum eſt nobis hanc viam*, ſubaudimus Pergere. *Inſaniendum eſt cum furentibus*. Supple Inſanire, ſicut *Inſanire cum furioſis neceſſarium eſt, Triſte inſanire hilari eſt periculoſius, Ridere decorum ſenectuti non contingit*. Ergo in *Ridendum eſt*, ſubaudimus *Ridere*, ſicut *Bibere* in *Nunc eſt bibendum*. *Tibi indicandum eſt rectene fecerim*. ſupple Iudicare ſeu Iudicium, quomodo poeta apud Cic. 1. Diuin. *Paris iudicauit iudicium inclitum inter tres Deas*. Ita *Tibi ad illum eundum eſt*, ſubaudi *Ire*, quod valet Itus ſiue Itio aut Iter, vt apud Horat. *Ire tamen reſtat, Numa quo deuenit & Ancus*. Ita *Non eſt inuidendum virtuti gloriam* ſubaudi *Inuidere*: quomodo *Inuidere virtuti iniquum eſt*. Horum ſimilia afferri poſſent longe plurima, ſed merito vereor, ne vel iſtis nonnullam *periergias* aut ſuperuacuæ operoſitatis notam duxerim. Hoc tantum dictis appingendum videtur, leporis Attici genus à Grammaticis cenſeri, vt verba cum cognatis accuſatiuis conſtruantur, tamquam *manian mainei*, inſanit inſaniam, vel furit furorem, *phygen pheugei* fugit fugã, *Leron, Lereis* nugas nugaris, *mochthon mochthei*, Laborẽ laborat, *archein archen deſpoticẽ*, imperare imperiũ herile. *machomai machẽ*, pugno pugnam, *phereſthai phoran*, ferri lationem ſeu moueri

ueri motum, *tolmesai mega tolmema*, magnum ausum audere, *hybrin hybrizeis*, quod latini redderent, *Iniuriè es iniurius*, pro quo Barbari *Iniustè iniurias*, idest, contumeliam facis. Cæterum quod interesse Lucianus putat inter *hybrizo se* & *hybrizo eis se*, in eo tota errat via perinde ac vulgus Grammaticorum Ellipsin nō animaduertentium. nam in *hybrizo se*, id est, *contumelia te afficio*, regularis est Syntaxis verbi actiui cum accusatiuo materiali: in *hybrizo eis se*, idest, *sum in te contumeliosus*, figurata est Syntaxis, in qua formalis accusatiuus *hybrin*, p ellipsin reticetur, prorsus sicut in *Adulari alicui* cōtingere monui, quod Quinctilianus tantus magister, qua ratione dictum foret, minime perspiciens, culpis annumerare, atq; inter Latinitatis à Ciceronis ætate iam degenerantis exempla recensere ausus est, qua de re Paradoxon nostrorum quarta epistola plura qui volet inuenerit.

Nobili & cultissimi ingenij Viro FRANCISCO ELLIO


MARIANGELVS A FANO BENEDICTI. S.D.



CVm sciam, quanta cum voluptate legere soleas, quæ ad politiores literas pertinent, quātumq; in omni humanitatis ratione iudicio polleas, nullus mihi relinquitur dubitandi locus, quin quæ Grosippus noster aduersus Grammaticorum sententiam de *Verborum modis* nuper disputauit, ea sis auide lecturus. Hoc amplius vero nonnihil te mihi debiturum arbitror, qui huius tibi lucubrationis copiam obtulerim. Id spectata mihi humanitas tua spondet, quam natalium tuorum nobilitate dignam possides. Vale.

Modi

Modi Verborum Potentialis & Permissiuus sunt superuacuum & inane Grammaticorum commentum.



NEgari, opinor, non debet, maximũ *Emmanuelis Aluari* fuisse bene de Linguæ latinæ studiosis merendi studium, magnum bonorum auctorum vsum, minime pænitendam Latinè scribendi facultatem. Itaq; cum laus ei multa debetur, tum gratia pro ijs, quæ præstitit, haud mediocris. Simul tamen fatendum est, quod res ipsa clamat, non semel eum veterum Grammaticorum auctoritate auferri se passum, vt iudicio, quo valebat tamen, in ijs, quæ ineptè illi excogitarant, limandis vti supersederit. Ei rei documento, sit vel *Potentialis* & *Permissiuus* Verborum modus, quos sibi à Prisciano alijsq; Grammaticis obtrudi passus est, ijsq; porrò tenera tironum ingenia fatigare nihil pensi habuit. Ipse quidem maximum eius laboris sui pretium facere sibi visus est, & politissimi vir ingenij dictionisque cultissimæ, qui causam pro eius Grammatica aduersus Veronensem Pescettium dixit (qui quidem dum *Scholarum Collegij Romani Correctorem* se profitetur, eadem opera haud obscure fert, *Curuos* ibi, qui corrigi necesse habeant, minime deesse) is ergo tantum non triumphum Aluaro decernit ob tam insignem Modis illis tradendis operam iuuentuti nauatam. At nos Annotationibus in nominum & Verborum Paradigmata satis planum videmur fecisse, nullos verborum modos esse, nisi qui Aduerbijs exprimuntur, magnamq; veterum ἀδιαφορίαν in vsurpandis primorum & secundorum temporum verbis (quæ vulgo *Indicatiui*, *Optatiui* & *Subiunctiui modi* nuncupantur) vsumq; promiscuum fuisse: qua de re in *Minerua* nostra vberius disputauimus. Nunc hoc modo Lectori probatum velim, sibi inepte Potentialem significandi modum

dum in ijs fingi verbis, quibus hoc ex euentu nullaque necessitate aut insita vi, sed solo interpretantis arbitratu cõtingit, vt verbo *Posse* explicari queant, Verbi gratia in hoc Terentij *Bonus hic vir est. SI. hic vir sit bonꝰ?* Nulla prorsus est necessitas, cur verbum *sit* pro esse potest, dictum accipiamus, cum idem ipsum, quod semper alias, hoc quoq; loco significet. Est enim per reticẽtiam concisè, siue ἐλλειπτικῶς dictum, pro: *Ain vt hic sit vir bonus? Est ne vt hic sit vir bonus?* siue *Ita ne res est, vt hic sit vir bonus?* quod quam vere dicam, vel hinc iudicari poterit. Cicero lib. 9. ad Attic. epist. 11. *De Domitio opinor esse vt in Cosano sit, & consilium eius ignoretur*. Si dixisset: *Domitius in Cosano sit? Domitij consilium ignoretur?* quis iam dubitaret, quin integra oratio futura fuerit? *Est ne vt Domitius in Cosano sit? Est ne vt Domitij consilium ignoretur?* Plautus Pœnulo act. 5. sc. 2. *Si ita est, vt tu sis Iacchonis filius*. Itaque si dictũ foret. *Tu ne vt sis Iacchonis filius:* nequaquam nobis interpretãdum esset, *Tu ne potes esse Iacchonis filius*, sed potius, *Ita ne res est, vt tu sis Iacchonis filius*. Idem Men. act. 4. sc. 2. *Mihi vt tu dederis pallam? numquam factum reperies*. Pro factumne est ita, vt mihi dederis. Idem Amphit. act. 1. sc. 1. *Factum est, vt ego illud vini ebiberim*, pro ita factũ est, ita res est, vt ebiberim. nam *Factum* & *Res* indiscriminatim pro eodem accipi Grammaticæ pag. 148. demonstratum videris. Idem Plautus Trinum act. 2. sc. 2. *Factum est vt illud perierit*, pro ita factum seu res est. Itaque frustra quis potẽtialẽ modũ in istis somniet. *Istud ne perierit? Ego ne illud vini ebiberim?* Posse vero *Ain* quoque aut *Dicisne* in eiusmodi subaudiri, multis locupletiũ auctorũ locis docere queã, sed paucis in specimẽ cõtẽtus fuero. Terẽt. Hec. act. 1. sc. 2. *Quid ais, cũ virgine adolescẽs cubuerit plus potus, sese illa abstinere vt potuerit? nõ verũ arbitror*. Plautꝰ Mostell. act. 1. sc. 1. *Nõ verũ loquere, vt quis absens absentẽ comesse possit*. Varro lib. 1. rei rust. cap. 2. *Verũ dicit vt ille hoc scripserit*. Hinc porro planũ fit, quid in istis subaudiri liceat: *Ille ne hoc scripserit? Quisquam ne absens absentem comedere possit?* Similiter in illo Ciceronis. *Ego te cõsulẽ putem,*

 tem,

Item, cum me non putes Senatorē? suppressum putemus licet. *An dicis, an postulas, an faciā vt, erit ne vt:* in quibus generibus Romanorū idiotismum esse ex Donato discimus. Is enim in Phorm. act. 2. sc. 1. *Honestā locutionē esse monet, si est vt culpā in se admiserit, pro si admisit.* quale est Horatianū illud. *Nō est vt copia maior ab Ioue donari possit tibi.* pro Non potest tibi donari. Et alterū eiusdem: *Est vt viro vir latius ordinet arbusta,* pro Viro vir latius ordinat. Subauditur enim *Res* & *Ita*. *Vt*, enim semper est similitudinis, adeoque *Ita* ei respondet, quod Grammat. pag. 44. & 80. monui. *Est*, verò velut verbum finitum Nominatiuum suppositum habeat necesse est, qua de re pag. 65. attigi. Ac ne quis perperam sibi persuadeat, nominatiuum *Vir*, esse verbi *Est* suppositum, habemus Terentij locū Phorm. act. 5. sc. 7. *Si vis mihi vxorem dare, ducam: sin est, vt velis manere illam apud te, dos hic maneat.* vnde præterea discimus, eundem vtrobiq; sensum esse, *Si vis*, & *Si est vt velis.* pro Si ita res vel negotium est vt velis. Cicero lib. 14. famil. epist. 9. *Eiusmodi spero negotia esse, vt vos istic commodissime sitis.* pro quo dicere poterat: *Spero esse vt istic commode sitis.* Iterum Terent. Adel. act. 3. sc. 6. *Si est vt facturus sit officium, faciat.* pro Si facturus est officium, si eiusmodi negotiū est, si res ita se habet, vt sit facturus officiū. Et Hecyr. act. 4. sc. 1. *Roga, velitne vxorem, an non. si est vt dicat velle se, redde: sin est autem vt nolit, recte ego consului mea.* Et mox sc. 4. *Sin est vt aliter tua sit sententia accipias puerum.* Et mox: *Manere affinitatem hanc inter nos volo, si vllo modo est vt possit.* Et act. 5. sc. 2. *Si est vt hæc Pamphilum verè ab se segregarit.* Massurius Sabinus apud A. Gell. 4. ca. 20. *Cur ita est, vt tu sis, quam equus, curatior?* Vbi *Res* Subaudiri nemo est quin perspiciat. In hoc ergo Quintiliani. *Frangas citius, quam corrigas, quæ in prauum indurnerunt.* subaudimus: *Ita res est, vt* : *Eiusmodi negotiū est, vt*. Et in hoc Virgilij: *Vnus homo tantas strages impune per vrbem Ediderit?* subaudimus: *Erit ne vt, Ita ne res erit vt.* quomodo apud Terent. Adelph. act. 2. sc. 1. *Vsq; ad necem operiere loris. S. A. loris liber? A. sic erit.* vt scilicet ope-

pe-

periare. In eiusdem quidem Heauton.act.5.sc.2.orationem hanc pæne integram hoc modo legimus: *Ita ne tandem quæso est Menedeme, vt pater tam in breui spatio omnē de me eiecerit animum patris?* Sic plerosque omnes libros veteres habere Faernus testatur, nec nisi sola vox *Res* deest, vt omni ex parte sit regularis constructio, quæ per figuram sic efferri potuit: *Pater ergo omnem de me animum patris eiecerit?* Et scæna, quæ proxime sequitur orationem hoc modo concisam legimus: *Subditum se suspicatur. CH. Subditum, ain tu? SO. certe sic erit.* pro Ain tu vt se suspicetur subditum? Sic erit res vt se suspicetur subditum? Apud Lucretium lib. 2. legimus: *Non est vt credere possis.* pro quo aliud diceret: Non possis credere, verbo *Est*, suppresso simul cum eius supposito, quod dixi esse *Res* vel *Negotium*. Itaq; si quis dicat, *Non facile credas, quam hoc sit factu difficile* nihil attinet ad Potentialem modum confugere, & *Credas* per *Credere potes* interpretari, cum Lucretius nos doceat, plenam orationem esse, *Non est vt facile credas*. Etiam in Permissiuo seu Concessiuo *Aluari* modo verbi *Esse* imperatiuus, siue futurum tertium *Esto* subauditur, vt Permissio omnis ab eo, quod subticetur, pendeat, non ab eo, quod exprimitur. Cicero: *Hęc si vobis non probamus, sint falsa sane: inuidiosa sane non sunt.* pro, Esto vt sint falsa, Licet vt sint falsa. Terent. *Profundat, perdat, pereat: nihil ad me attinet.* pro licet vt profundat, Esto vt profundat: sic vt Iuuenal. *Nil fecerit esto.* pro ita res esto, vt nihil fecerit. Ita in hoc Ciceronis: *Trahantur per me pedibus omnes rei, non laboro*, subaudiamus licet *Esto vt*, vel *Licet vt*, quomodo Plaut. Rūd. *Mea quidem causa saluus sis licet.* Et ipse Cicero: *Per me vel stertas licet.* Eadem ratio est in hoc Ciceronis: *Malus ciuis C. Carbo fuit. Fuerit alijs: tibi quando esse cœpit?* pro Esto vt fuerit, Licet fuerit: sicut idē de Finib. 2. *Esto fecerit, si ita vis, Torquatus propter suas vtilitates.* pro Ita esto vt fecerit. Et in hoc Virgilii: *Verum anceps pugnę fuerat fortuna fuisset.* pro Esto vt fuisset, Licet fuisset. Neque dispar est ratio in isto Cic. *Age, restitero Peripateticis, sustinuero Epicureos: Dio-*

doro quid faciam Stoico? Valet enim, Esto vt restitero, Licet restitero seu restiterim. Prisce enim Amauerim & Amauero, Faxim & Faxo, Capsim & Capso, Dederim & Dedero, Aufugerim & Aufugero, Dixerim & Dixero, omniaq; id genus alia promiscuè tam de futuro, quam de præterito dicebant, quod eos præcipuè, qui in Plauto hospites non sunt, præterire non potest. Itaq; frustra est Aluarus cũ potentiali modo adscribit Plinianũ illud *Nec facile dixerim, qua ætate cœperit.* Itẽq; hoc Tullianũ *Pomeridianas libẽtius dixerim, quã post meridianas.* Est enim futurũ secũdũ ꝓ primo positũ, id est *Dixerim* ꝓ *Dicã*, quomodo Plautus *Emissim* siue Emerim, vel Emero, & *Emã* indifferẽter vsurpat. Casin. act. 2. sc. 2. *Non ego istuc verbum emissim titiuilitio.* Pœnul. act. 1. sc. 2. *Cuius ego septem noctes nebulæ cyatho nõ emã.* In alijs porro exẽplis, quæ Potentiali modo Aluar⁹ asserit, *si velim* aut *velit, si libeat, si placeat, si velles, si necesse sit, si res ferat*, aut aliud quippiã eiusmodi suppressũ esse intelligitur. Virgil. *Nec si cuncta velim, breuiter decurrere possim.* pro quo per concisionẽ siuè imminutionem alius diceret: Nõ possim cũcta breui oratione percurrere. Plaut. Pseud. *Homines qui gestant crimina, si meo arbitratu liceat, omnes pẽdeãt.* pro quo dici poterat: Pendeant omnes qui gestãt crimina. Idem Asin. *Nauseã bibere malim, si necessũ est, quã illã osculari.* Virgil. *Hoc Ithacus velit, & magno mercẽtur Atridæ.* Sub auditur, *Si liceat.* Sallust. *Sed confecto prælio tũ vero cerneres quãta audacia fuisset in exercitu Catilinæ.* Subaudimus, Si videres, si velles. Cicero: *Voconia lex videlicet te delectabat. Imitatus esses illum ipsum Voconiũ.* Subauditur: *Si te lex illa delectabat.* Ita nihil attinet, vt vel *Potuisses* vel *Debuisses imitari*, interpretemur. In hoc Virgil. *Et ni mea cura resistat, Iã flãmæ tulerint, inimicus et hauserit ensis*, subaudire possumus, *Esset vt, Foret vt*, similiterque in isto Liuij; *Tũ vero nequicquã Capitoliũ seruauerim, si ciuẽ meũ in seruitutẽ duci videã.* In Virgiliano illo. *Quid facerem* suppressum intelligimus *Vis vt, Censes vt*, vel, *si recte facere volebã.* In Terẽtiano autẽ: *Diceret, quid feci, quid peccaui?* Planũ satis est subaudiẽdũ esse: *Si eũ obiur*

gare: adeoq; intẽpeſtiuũ eſt interpretari *Diceret* per *Poſſet dicere*. Iſta quippe ſenex filiũ, ſi obiurgatus eſſet, non dicere poſſe, ſed certe dicturũ fuiſſe ſentit. Cæterum quod de *Capſim* & *Capſo* dixi, in memoriam me reuocat eius, quod perperã cẽſuit Cicero, in *Capſis* tres eſſe voces, quaſi factũ ſit ex *Cape ſi vis*. quid ergo faciet Tulli⁹, de *Capſo, Capſis, Capſimus*, quæ Plautus habet? Si alicubi legit Cicero *Capſis*; nõ fuit illud ſimile imperatiuis *Dic, ſis, Fac, ſis, Duc ſis* (nam *Cap*, per apocopen pro *Cape*, non dicitur) ſed fuit ſecunda perſona à *Capſim* vel *Capſo*, quo priſci vtebãtur pro Ceperim, & Cepero, & ſubaudiebatur *Fac*, de quo in Grãmat. pag. 37. monui. Cæterum *Cape ſis* in Plauto legimus Aſin. act. 3. ſc. 3. *Cape hoc ſis Libane*. Et Rud. act. 2. ſc. 5. *Cape aquam hanc ſis*. Et Merc. act. 5. ſc. 2. *Cape ſis puer hoc pallium*. Et Trin. act. 3. ſc. 2. *Cape ſis virtutem animo*.

LEONARDO PAPPO IVRISC. & Canonico Conſtantienſi

MARIANGELVS A FANO BENEDICTIS. S. P. D.

ETſi te veterem Groſippi noſtri contubernalem & interioris notæ amicum minime præterire poteſt, quæ illius de Lexicis ſiue Vocabularijs aut Theſauris linguæ latinæ, eorumque forma & vſu ſit ſententia, minime tamen ingratum tibi facturum me confido, ſi tibi perſcribam, quæ in familiari ſermone eadem de re non ſemel diſſerentem audiui. Eiuſmodi ergo Vocabulorum Latinorum Indices tum demum numeris omnibus abſolutos & quantauis prædicatione dignos fore cenſet, ſi *Magiſtri*, non *Miniſtri* tantum operam lectoribus ſuis nauent, pariterque *Iudicium* informent & *Inuentionem* adiuuent, vt nimirum cum de verbis ſingulis ac coniunctis exploratè iudicari queat, quæ vera ſingulorum vis ſit ac ſignificatio, quoſque illa auctores habeant, tum vt quacumque de re ſcripturus ea minime laborioſè reperire poſſit, quæ animi ſenſa explanent,

siue numquam illa sciuerit, siue lecta quidem vel audita in memoria non habeat. *Iudicium* porro tribus rebus dirigitur, Ratione, Obseruatione & Interpretatione. *Ratio* vel ad etymologiam vel ad syntaxin pertinet. *Etymologica ratio* postulat, vt doceatur, ad quam orationis partem queque vox pertineat, hoc est, nomen ne sit an verbũ, an particularũ aliqua, Præpositio puta, Aduerbium, Coniũctio & Interiectio: tum quę nominis species, adiectiuum ne an substantiuum, & adiectiuumne natura an vsu. ad hęc primitiua ne sit, seu primę impositionis, an aliũde flexa, seu deriuata: pręterea quæ ꝓpria eius sit significatio, quæ Tropica seu figurata. Verè enim vnica tantum est vocabuli cuiusque propria significatio, reliquę omnes Tropum continent ob rerum inter se significatarum affectionem aliquã, quia scilicet altera alterius vel causa est, vel effectum: vel subiectum, vel adiunctum: vel totum, vel pars: vel antecedens, vel consequens, vel connexum: vel signum, vel signatum: vel coniugatum: vel consentaneum aut simile, vel dissentaneum aut oppositum. tandem simplicibus subijci debent composita, & deriuata primigenijs, quod ea res magnum ad intelligendum singulorum vim ac potestatem momentum faciat. *Syntaxeos ratio* in ijs, quæ Concordiæ aut Rectionis sunt, occupatur, non tamen vt Grammaticæ partes inuadat, sed vt admoneat Lectorem, sicubi obscurum est, secundumne regulas constructionis, an per figuram aliquid dicatur. Verbi gratia: *Primum, aduerbialiter positum per ellipsin præpositionis & nominis substantiui, pro Ad primum tempus aut locum. Primo aduerbialiter positum per ellipsin præpositionis & nominis substantiui, pro In primo, A primo loco, aut tempore, aut pretio, aut numero, aut pedatu. Latere aliquem, Greca figura pro alicui. Reginus, adiectiuum, sicut Regius, cuius solum fœmininũ in vsu mansit Regina, in quo subauditur vel vxor vel filia. Patria nomen natura adiectiuum: cum quo subauditur Terra, sed vsu substantiuum, vt Liuius: Neapolis mihi materna patria est. Mille hominum, pro Mille homines per ellipsin vocis Rẽ aut Negotium, sicut Plus centum annos est, & Decem talentorum sibi reliquit.*

Ob-

Obseruationis est ea ex melioris notæ auctoribus referre, quæ partim bene loquentium consuetudini sunt consentanea, partim honesta, & lecta atque à plebe summota, vt scilicet illa orationis vitia caueri possint, quæ Grosippus noster in Propædia sua Rhetorica *Insolentia* & *Adiaphoria* subijcit Archaismus puta, Neoterismus, Idiotismus seu Peregrinitas & Vilitas vel Plebitas, etsi notitiæ saltem causa illa quoq; in Lexico obseruari conuenit, quæ vel priscè, vel nouè ac singulariter, vel peregrinè præcipuèque Græcanicè, vel deniq; pro plebis Romanæ consuetudine alicubi dicta inueniuntur, dum tamen vitij nota singulis appingatur, ne, quid tuto vsurpet, Lector ignorare possit. Hoc autem vix præstiterit, nisi qui singulorum pæne vocabulorum loquendiq; generum Indices ex vnoquoq; aureæ & argenteæ ætatis scriptore confectos habet, vt nihil prorsus eum queat effugere. Aliter enim iudicium Lectoris dubium semper & fluctuans relinquet. Verbi gratia si iudicare velis, satisne Latinè dictum sit, *Daturum me tibi promitto cum eo, vt mox mihi reddas:* consultus linguæ latinæ thesaurus anno 1573. Lugduni editus, qui longe cæteris indicibus præstat, docebit te, *Cum eo, pro ea lege* apud Columellam & Cornelium Celsum legi: sed neque qua id ratione dictum sit, expedit, neq; vllum eius auctorem aureæ ætatis laudat. Vt ergo explorato iudicare de hoc loquendi genere possis, Lexicographi partes erunt, hoc modo commentari.

Cũ eo, per ellipsin dicitur, pro Cum eo modo seu pacto, cum hac lege & conditione, Cic. 6, ad Attic. 1. Mihi non excidit illud, quod tu ad me scripsisses, si nihil aliud de hac prouincia, nisi Bruti beneuolentiam deportassem, mihi id satis esse. Sit sane, quoniam ita tu vis, sed tamen cum eo (credo) quod sine peccato meo fiat. Liuius lib. 8. 14. Lauinijs ciuitas data, sacraque sua reddita cum eo, vt ædes Iunonis communis Lauinijs cum Populo Romano esset. Et mox: Antium noua colonia missa cum eo, vt Antiatibus permitteretur, si & ipsi adscribi Coloni vellent.

Similiter si scire certum velis, *Instar* pro Fere, Quasi,

circiter probène dictum sit, nec obseruatione vlla, nec ratione iudicium tuum vulgata Lexica moderabuntur. quod faciet, si sic scribat Lexicographus:

Instar nomen substantiuum nominatiuo & accusatiuo casu modo inuentum: significat speciem, similitudinem, modum seu quantitatem. Sueton. Iulio cap. 61. *Equi sui instar pro æde Veneris dedicauit.* id est, statuã, effigiem. Vlpianus leg. 21. Dig. de operis noui nunciatione: *Si proponatur instar quoddam & quasi facies quadam operis*. id est, species, vt quale opus futurum sit, quodammodo apparet. Cæsar 3. belli ciuil. *Animaduersum est, cohortes quasdam, quod instar legionis videretur, esse post siluam.* idest, ad numerum simile legioni. Hirtius bello Alex. *Cæsar cohortium trium instar in terram exposuerat.* Liuius lib. 28, 17. *Scipio receptas Hispanias parum instar eorum ducebat, quæ spe ac magnitudine animi concepisset.* Cicero 10. ad Attic. *Epistola, quę voluminis instar erat.* Idem 2. Offic. *Qui clientes se appellari, mortis instar putant.* Idem 5. Verrin. *Nauis ita magna, vt vrbis instar habere inter piraticos myoparones videretur.* idest speciem. Idem Orat. *Hac magna sunt & tamquam animi instar in corpore.* idest, similitudo. Idem 4. Tuscul. *Terra ad vniuersi cæli complexum puncti instar obtinet.* Virgil. 6. Æneid. *Qui circum strepitus comitum, quantum instar in ipso est?* idest. quanta species & magni viri indoles ac similitudo. Idem 2. Æneid. *Instar montis equum diuina Palladis arte Aedificant,* vbi ellipsis est, pro *Equum entem instar montis*, siue qui est instar montis. Aut deest Præpositio *Ad*, quam teste Seruio Septimius Serenus celebris poeta Lyricus expressit, eiusq; exemplo Apuleius & Imperatores in Codice Iustin. sæpius; vt *Ad instar montis equus* sit velut *Ad modum* seu similitudinem aut magnitudinem montis. Hinc ad exprimendum numerum promiscuè *Ad modum* & *Ad instar*, aut per ellipsin *Instar* vsui esse solet. Liuius: *Sex millia hostium cæsa, quinq; admodum Romanorum,* idest, quasi, fere, circiter. Idem: *Mille admodum vehicula capta. Exacto admodũ mense Februario.* Cic. 16. ad Attic. epist. 5. *Mearum epistolarum nulla est synagoge*

ſeu collectio. *Sed habet Tiro inſtar ſeptuaginta.* Subaudi Epiſtolarum. Varro 1. rei ruſt. 1. *Adiecit non pauca, & de Magonis demſit inſtar librorum octo,* Columel. 2. cap. 5. *A cerui ſtercoris inſtar quinque modiorum diſponentur.* Catul. *Murtola habet inſtar triginta iugera prati,* pro habet iugera prati, ad inſtar, ſiue ad modum triginta iugerum. Sic habent omnes codices manu formiſq; deſcripti. Sola Plantini & Raphelengii editio ſtolidã & à latini ſermonis ratione alieniſſimam Ioſephi Burdoſcaligeri coniecturam in contextum recepit, extrita vera ſcriptura: qua de re videatur Scioppii Scaliger Hypobolimæus pag. 210.

Interpretationis deniq; eſt explanare auctorum loca, quę recitantur, vt Lexicon ſit commentarii vicem, nec eos, qui Latinè volunt ſcribere ; verbis Latinis barbarè vti patiatur. Verbi gratia *Fidem adhibere,* in Plauti Rudente legitur, quod Lexicographus interpretari debet, idem ſcilicet ſignificare, quod vti fide, ad negotium aliquod fidem afferre in eoq; cum fide verſari, ſicut *Adhibere diligentiam.* nã niſi ſic explicauerit, faciet Lector, quod Auſonius, Manutius, multiq; alii primores in literis viri fecerunt , vt dicat *Adhibere fidem* pro Credere alicui, quod minime Latinũ eſſe Groſippus Paradoxon pag. 43. & in Propędię Rhetoricæ fragmento nuper edito monuit. quod enim apud Vlpianum inuenitur leg. 1. Dig. de quæſtion. aut mendoſum, aut à Triboniano profectũ videtur, ſicut & *Iuramentũ* vox barbara: etſi nec Vlpiani ætas ea eſt , quæ Latini ſermonis corruptela vacet. Ita *Proÿcere ampullas* apud Horatiũ monebit lexicographus eſſe idẽ, quod miſſas facere, valere iubere, abiicere, abſtinere, non vti, quę verbi *Proÿcere* ſignificatio in Plauto, Cic. Catullo & Sen. obſeruari poteſt. Aliter minime Latinè & ridicule de tumidi & glorioſi ſermonis homine Horatii verſu Lector vtetur *Proÿcit ampullas & ſeſquipedalia verba,* quemadmodum Caſaubono vſuuenit, cuius in Cõment. Athenæi pag. 186. verba ſunt: *Nũquã Comicus Græcus Tragicorũ poetarum verba ſeſquipedalia ſubſãnat, quin ampullas proÿciat.* Ita *Salillũ animę* apud Plautũ niſi quis in Lexico recte interpretatũ viderit ridiculè pro

Corpo-

Corpore accipiet, quasi Corpus sit salinum, Anima vero sal. At enim *salillum animæ amittere* non est *Amittere corpus* (quod Ciceroni & Lucretio significat macescere seu macilentum fieri, cui contrarium *Corpus facere* apud Phædrum fabulatorem pro Pinguescere siue Habitiorem fieri) sed amittere animam seu mori. Ex quo perspicuum euadit, *Salillum animæ* dictum pro Anima quæ est Salillus, siue sal corpori datus vt ne putiscat: sicut *Præmia palmæ* Virgilio pro palma quæ est præmium, *Arbores abietis* Liuio pro abietes quæ sunt arbores, *Medorum hostes* Propertio pro Hostes Medi, quorum similia Grosippus matica pag. 128. annotauit. Ratio porro huius veræ interpretationis ex antiquitatis pendet notitia. Ex Græco nimirum ἅλς Latini formarunt *Salis*, quoniam nec consonantes continuabant (vt in *Plebes, Faces*, *Ancipes Præcipes*, & similibus apparet) & adspirationis notam sibilo commutabant, vt ἕξ *sex* ἑπτὰ *septem*, ὗς *sus* &c. A prisco ergo *Salis* deriuatur *Salillus*, sicut à *Lapis Lapillus*, ab *Anguis Anguilla*. Iã ergo Prolusionum Academicarum scriptori perijt sal suus, quem in illudẽdo Cãtabro illo viri frustulo, consumserat, adeoque per hunc salem insulsus victitare potest. neque tamen *Salillum* Grosippus propterea negat à *Salino* recte deduci, qua voce Plautus etiam in Persa vtitur, *qui seruo salinum obsignant cum sale* pro Salinum vas, in quo est sal, non inane. sicut Curcul. *sinus cum vino* pro sinus in quo est vinum. Ex quo iudicari potest, quam nullo iudicio Plauti locum Germani editores non præter solitum nuper corruperint, cum inuitis libris scriptis ediderunt: *Seruo allium obsignant cum sale* omnino autem facilem reddit Interpretationem Etymologiæ ratio, de qua supra attigi, si primitiua an deriuata vox sit, consideretur, quidque propriè ac per Tropum aliquem significet. Verbi gratia *Lego* primitiua vox est, à qua deriuatur *Diligo*, cuius propria significatio est, *Hinc inde lego & ab alijs discerno*. quod facit qui cum magna pomorum congeries humi iaceat, non legit seu colligit omnia, sed grandiora modo eximit, quæ auferat. Et quoniam

ex multis pauci eligendi sunt, quos quis amet, hinc factum vt *Diligere* pro *Amare* vsurparetur per Metonymiam Antecedentis. Atque hinc Cicero *Amare* plus esse monet, quam *Diligere*, quod in Diligendo sit Amoris principium. *Dilectus* ergo *militum* (quomodo Festus scribendum docet) propriè dicitur, per Tropum vero significat eum, qui amatur, vnde & *Dilectio*, qua tamen voce nemo latinus vtitur, quæ posterioribus Tacito & Symmacho est *Diligentia*. quæ vox Ciceroni, idem quoque quod electionem vel dilectum, significat. Pro Plancio. *Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia*. Cicero *Dilectum & Discrimen* coniunctim solet dicere, vt sensu vix quicquam differre significet. *Diligens* propriè est Eligens seu Deligens, per Tropum vsurpatur non modo pro *Amante*, vt dictum est, sed etiam pro *Studioso, Sedulo, Attento*, cui contrarium *Segnis*, cum Studium & Attentio sit adiunctum Electionis. Postea significat, quoque *Parcum*, idest, attentum ad rem familiarem, quę iam est Synechdoche partis. Accuratio enim & Sedulitas quęuis est Totum, cuius species est Parcimonia, idest, sedulitas in re familiari. Horum exempla ex Cicerone & alijs afferre longum sit. Hinc *Diligenter* pro Studiose & Accuratę per Tropum dicitur, cum propria eius significatio sit, cum dilectu & discrimine. Atque ita expedita erit interpretatio Ciceroniani huius, *Diligenter latinè loqui*. In Bruto: *De Tito Flaminino nihil accepi, nisi latinè diligenter locutum*. hoc est, vsum verbis lectis, solitum ex varijs eiusdem potestatis vocabulis ea eligere, quæ honesto & nobili viro digniora viderentur, plebeia vero & sordida missa facere. Et infra ibidem: *Verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone. Itaque diligenter latine loquendi laude caruit: neque tamen est admodum inquitatè locutus*. Hic diligenter loquitur, qui non loquitur inquinatè, idest, qui abstinet sordidis ac humilibus: Seneca 2. de Ira 12. *Quicquid voles scire, quale sit, tempori trade. nihil diligenter in fluctu cernitur nunquam liquidum sincerumque ex turbido venit*. Sic Varro de Lingua Lat. 5. *His magis promiscue, quam*

di-

diligenter consuetudo est vsa. Vbi Diligenter & Promiscuè siue Indifferenter aut Indiscriminatim videmus contrario inter se nomine opponit, vt Diligenter valeat Distinctè, non Confusè, vt aliud ab alio discernatur.

Reliquum est, vt quæ *Inuentionis adiumenta* à Lexicis præstari debeant, consideremus. Alia nimirum sermoni necessaria sunt, alia dictioni. *Sermo* alius absolute ac simpliciter Hominis est, alius Hominis ingenui siue Honesti aut Nobilis, sicut *Dictio* est hominis Diserti siue Oratoris aut Poetæ. Homini ad explicanda animi sensa verbis proprijs vsus est, quæ tamen nec *Obsoleta* sint, nec *noua*, nec *peregrina*. *Honesti* vero hominis oratio debet esse Diligens, aut Elegans, hoc est, in qua verborum sit Dilectus, ne plebeiis & sordidis inquinetur. Diserti hominis dictionem cultus & copia commendant, si nimirum tropis, figuris & amplificationibus ornetur, eadéq; res alijs atq; alijs verbis subinde efferatur. Itaque sic demum Lexicographus suo functus fuerit officio, si quicquid vel sermoni, vel dictioni vsus erit, scripturo suppeditet. Ei⁹ vero rei tres modos inuenit Grosippus. Vnus est ipsarum rerũ in certas classes descriptio, quæ suis appellationibus insigniantur, ijsq; tam verbis, quam nominibus: quod nemo rectius & felicius præstiterit clarissimo & humanarũ rerũ nostra ætate non dico cũ primis, sed quod Grosippus censet, vnicè docto *Iohãne Baptista Donio Florentino*, qui *Hermathenæ* suæ in viginti libros distributæ instar ac προπλασμα Grosippo nuper misit. quod quidem opus si Summi Pontificis & Francisci Cardinalis Barberini auspicio ac munificentia extremam aliquando manum recipiat, politiores literas in perpetuum stabilitas, nullũq; post hac à barbarie periculum fore auguror, multoque ea res Barberiniano nomini erit amplior ac gloriosior, quam quicquid est in orbe toto Piramidum aut quarumcumque insanissimarum substructionum moles.

Alter Inuẽtionis adiuuãdæ modus est verborũ cũ singulorũ tum coniũctorũ Lodynamia, siue vt vulgo loquuntur æquiualẽtia, cũ videlicet maxime notis in promptuq; po-

sitis

ſitis ea ſubijciuntur, quæ aut eandem, aut ſaltem finitimā ſignificandi vim habent, vt eorum vſu orationem ſiue ornare, ſiue variare poſſis. Verbi gratia, in ſerie verborum à litera *M*, incipientium, ad vocem *Mutabilis*, ſimiliterque alio loco ad nomen *Inconſtans*, annotari cū alia, tum iſta poterūt, quæ auctorū lectio ſuppeditauerit: *Mobilis. Volaticus. Deſultorius. Ventoſus. Inſtabilis. Volubilis. Volucer. Vagus. Leuis. Commutabilis. Varius. Multiplex. Flexibilis. Incertus. Ad omnem auram ſpei mobilis atque infidus. A ſe ipſe diſſentiens. Instar veli vtcumque in alto ventus eſt, exinde vertitur. Pluma aut folio facilius mouetur. Magna eius eſt varietas voluntatis & diſſimilitudo opinionis ac iudicij. Crebro nimis ſtylum vertit, & freques in decretis eius litura eſt, aliudq; ſtās, aliud ſedēs ſentit.* Horū verò vſū ſi quis exploratius cognoſcere auebit, de ſingulis priorē Lexici partē, id eſt, *Cōmētariū* cōſulet, vbi ipſa auctorū verba obſeruata & explanata inueniet. Hæc enim poſterior pars vicē *Promtuarij* ſeu penuariæ cellæ præſtat, vnde quis ad ornādi vel variandi vſum neceſſaria queat depromere. Extant quidem Manutij Elegantiæ, Hadriani Cardinalis, Antonij Schori, Oberti Giſanij, multorumque aliorum phraſiologiæ, quæ tamen plus fere Iudicio, quā Inuentioni ſubſeruiūt, nec niſi minimā eorū, quæ afferri ex auctoribus poterat, partē repræſētant. Neceſſe autē habet, qui hac prouincia rectè defungi volet, ea quæ in auctoribus minime vulgariter dicta offenderit, in omnē partē verſare, quibuſque ea modis variari poſſint, periculum facere, vt ſub pluribus capitibus eorum inueniendi facultas ſcripturo ſuppetat. Verbi gratia. In Cicerone lego: *Tanta temeritas, vt non procul abhorreat ab inſania.* Conſiderans verborum vim, inuenio ſententiam eorum eſſe, *Temeritas, ſimilis,* aut *non diſſimilis inſania.* quomodo & Catullus de Suffeno: *Tātū abhorret ac mutat.* pro tam eſt ſui ipſius diſſimilis. In Prōtuario ergo ſcribo: *Similis. Non procul abhorret ab inſania.* Item *Diſſimilis. Non procul abhorret ab inſania.* Pari modo legens in Cicerone: *Hac etſi ficta, tamen non abſunt à cōſuetudine ſomniorum.* expenſa ſermonis elegātia cōperio vulga-

vulgari modo dici posse: *Non est nouum, aut inusitatum talia somniari*, aut *Solent talia somniari*. Itaque in Promptuario verbis *Solet*, *Nouum*, *Inusitatum*, adscribo genus hoc loquendi: *Hęc non absunt a consuetudine somniorum*. Ad verbum quoq; *Solet*, Plautinum illud & Ciceronianũ appingo: *Consuetudine aliquid facere*. Hoc quippe est *Solere facere*. Ita cum in Seneca lego: *Obsessa setis ceruix*, interpretor significari *Pilosum* vel *Hirsutum*, adeoq; sub ijsdem verbis in Promptuarium refero illud Senecæ. in quo etiam legens ista: *Aliud ex alio placet vexatq; nos. petita relinquimus, relicta repetimus: alternę inter cupiditatem nostram & pęnitentiam vices sunt*. intelligo vulgari modo dici potuisse: *Modo hoc, modo illud placet. Modo cupiemus, modo nos pęnitet. Interdum hoc, interdum illud. Alias hoc, alias illud*. Vt ergo huius generis elegantia lector orationem illustrare aut variare possit, sub diuersis Promtuarij capitibus ac velut Inuentionis locis ea illi repræsento.

Postremus adiuuandę Inuentionis modus est *Appositio*, cum adiunctorum, (cuius generis sunt adiectiua nomina) cum aduerbiorum; quorum vtroq; orationem amplificari, plenioremq; & velut succosiorem reddi ex Rhetoricis satis notum est, tamquam si dicas *Homo omnium animaliũ diuinissimus, Ille belli fulmen & Carthaginis horror Scipio, Æneïa nutrix Caieta, Amicus firmus & fidelis. Amare aliquem plurimum, maximè, mirificè, præcipuè, valde, miserè, perditè, efflictim. Cupere aliquid ardenter, summe, valde, vehementer, misere, nimis, impense, haud modice.* Etsi autem ista Apposita Inuentioni subseruiunt, rectius tamen in Cõmentario suis vel verbis, vel nominibus suppinguntur, velut in Nizoliano Ciceronis indice factum video.

Atque ista sunt, quæ Lexicographum facere oportere Grosippus censet, si omnes officij numeros implere, meritoq; suo puncta doctorum auferre velit. *Ambrosius* Comitis de Calepio vel *Calepini* in agro Bergomati filius, familiæ Augustinianæ monachus in suo Lexico, quod ætas illa nondum satis literis exculta ferebat, præstitit, adeoq; venia, quam laude vlla est dignior. Etsi autem homini literato

terato Grosippus erubescendum ducit, Calepiniani Indicis mentionem facere (quo nomine non nemo de Romanis literatoribus ei succensere fertur) longe tamē ille abest, vt tam inclementer Calepino dicat, quam ab eruditissimo homine *Francisco Florido* factum est, cuius in Apologia pro Poetis latinis verba sunt: *Quam laudari Nicolaus Perottus, tam reprehendi iure optimo potest Ambrosius Calepinus monachus cum suo illo insulso fœtidoq; Dictionario, quē ex Perotti sudoribus seruato literarum ordine ita disposuit, vt à se ne gry quidem in eo protulerit, vt optime illis consuli posse nemo ambigat, si fax illa publico edicto supprimatur: quamuis Perotti auctoritatem auxerit potius, quam imminuerit. Illius enim nomini multa in reddenda verborum ratione ab eruditis deferuntur, cum Calepino vix credant, quod veterum auctorum exemplis comprobarit: ac ille denique honoris, hic ludibrij causa in doctorum cœtibus nominari soleat.* At enim Calepinus hodie in omnium versatur manibus, magno doctissimorum hominum certamine auctior & melior, cum eruditi ac diserti illius Perotti *Cornucopia*, in vicum vendentem tus & odores deferri, ibiq; piper amicire & tunicas scombris præbere soleat, non ob aliam sane causam, nisi quòd minore multo negotio quæ quisq; velit, in Calepino inuenire potest. Veruntamen quod plurima in eo desiderabantur, animus fuit additus *Roberto Stephano Parisiensi* typographo, vt decem diuersarum nationum hominibus, quos tamquam Græcè ac Latinè intelligentes domi suæ alebat, verba omnia loquendiq; genera ex Latinis auctoribus excerpendi prouinciam delegaret: vnde natus *Thesaurus* eius tribus voluminibus distinctus, quem postea *Cælius Curio* Fori Romani, *Theodosius Trebellius* Promtuarij nomine inscriptum Basileæ edidere, nulla *Stephani* mentione. Bibliopola tandem Lugdunensis magna eorum accessione, quæ Turnebi, Lambini, aliorūque philologorum libri suppeditarant, auctiorem & emédatiorem Lugduni produxit anno 1573. quem in compendium post anno 1613. redegit *Ludouicus Lucius*, & *Thesaurum* siue *Aerarium linguæ latinæ* inscripsit. In istis tamen

men omnibus plurima sunt, quæ merito cum inscitiæ, tum supinæ cuiusdam oscitantiæ ac negligentiæ accuses. Primum enim nihil dici potuit stolidius & imperitius, quam quod in iudicio de Latinis scriptoribus *inter inelegantes & imperfectos* Plautum, Terentium & Lucretium recensent, *inter perfectos* autem *& elegantissimos* Varronem & Sallustium, *inter postremos deniq; & deficientes* Valerium Maximum, Senecam & Curtium, velut Apuleij æquales. Deinde Etymologiæ ratione sæpenumero lectoris fallunt iudicium, cum Adiectiua nomina habeant pro Substantiuis, Aduerbiisq; accenseant, quæ sunt Nomina, vt mittã quod primitiuis deriuata non attexunt, nec simplicibus composita in quo tamen maximum est momentum ad vim singulorum rectius intelligendam. Itaq; errorem istum corrigere conatus est in suo *Eruditionis Scholasticę Thesauro Basilius Faber*, etsi non semel eum ratio in eo fugit, vt quæ ex quibus deriuata essent, minime perspiceret: quod genus est *Demo* & *Sumo*, quæ pro primitiuis habet, cum sint profecta ab *Emo*, quod monente Festo priscis significabat *Accipio*. Adhæc magnam Obseruatio istorum mendam continet, cum & nonnulla afferant, quæ minimè Latina sunt, nec in vllo satis idoneo scriptore extant, & plurima rursus vocabula reticeant, quæ suos tamen auctores habent, cuius rei specimen in *Roberti Constantini supplemento linguę latinę* Lugduni, & in *Basilij Zanchi Epitome* Basileæ edita videre licet. quod minus difficulter credet, qui iã inde ab anno 1573. aliquos auctores veteres eo tempore ignoratos, alios infinitis partibus auctiores & emendatiores ex variis Bibliothecis erutos fuisse sciat, tamquã Phœdri fabulas, Hygini mythica & astronomica, Quintiliani patris Declamationes. Senecæ rhetoris oratoria, Seruium Petri Danielis, Varronem Scioppii, Festum Scaligeri & Fuluii Vrsini, Nonium Merceri, auctores finium regundorum Rigaltii, Inscriptiones Gruteri, Glossaria Philoxeni, Placidi, Isidori & aliorum. Sed generum loquendi siue phrasiũ, quæ in Plauto, Terentio, Lucretio, Cicerone, Cæsare, Nepote, Liuio, aliisq; aureæ & argenteæ ætatis scriptoribus

toribus extant, multo maximam partem auctores illi intactam reliquerunt, eoq; fit vt nemo iam tuto de Latinitate iudicare possit: cum merito verendum sit, ne quod isti Thesauri non exhibent, diligens lector alicubi apud probę notæ auctores obseruare potuerit. Accedit, quod mendosissimis Auctorum editionibus vsi cum ipsi se obseruatores, tum lectores suos sæpissime turpiter frustrantur. Exemplo sit quod sub voce *Capularis*, Plauti ex Milite versum hunc recitant. *Tam capulari stamine tibi diu videor viuere*. Et sane sic in Aldi Manutij editione legitur, quæ tamen nihil dici potest mendosius & portentosis erroribus inquinatius. Et Itali nostri cum Aldi Plautum legerunt, ipsi sibi plaudunt ac tantum non beati videntur, nec exemplaria illa inspicere dignum ducunt, quæ vetustissimorum codicum fide Transalpini homines accuratissime emendarunt, quod ipsum non minore ῥαθυμίᾳ καὶ ἀφιλοκαλίᾳ in cæteris faciunt auctoribus, prorsus vt si frugibus inuentis malint glande victitare. Sed ad versum illum redeo, quem ex emendatioribus membranis ita viri docti nobis exhibent:

Quid ais tu? itane tibi ego videor oppido Acheruntic us?
Tam capularis? tamne diu tibi videor viuere?

Ad extremum tanta passim cum imperitia in locis auctorum interpretandis versantur, vt doctis quidem vberem risus materiam præbeant, minus vero doctis errorem obijciant, vt verbis Latinis barbare vtantur, cuius quidem rei specimina nonnulla paulo superius exhibui, quorum similia, si opus sit, multò plurima afferri queant.

Quod deinde ad Inuentionem attinet, aut nulli, aut non magno saltem sunt vsui. Epitheta quidem aliqua siue adiectiua nomina substantiuis appingunt, cæterum nonnisi ea vocabula, quæ iam nota habeas, quantocumq; quęrendi & volutandi labore inuenire possis.

Habes Grosippi nostri de Lexici latini virtutibus ac vitijs sententiam, cuius tria illa *Promptuaria* volumina quantum ei, qui quacumque de re Latine velit scribere, adiumenti præstent, experiundo didicisse te scio. Vt autem

D quanta


quanta idem cum ἀκριβείᾳ in linguæ latinæ Commentario verſetur, exiſtimare poſſis, hoc tibi ſpecimen mitto, diſſertationem ſcilicet de Natura & Vſu vocabuli *Quod*, cuius ego occaſionem illi præbueram. Tu, vir optime & doctiſſime, meum hoc te demerendi ſtudium boni vt conſulas rogo. Vale ac Merono plurimam verbis meis ſalutem dicito.

SYNOPSIS.

Lexici duæ partes eſſe debent nimirum Liber

- Commentarius dirigens Iudicium
  - Ratione.
  - Obſeruatione.
  - Interpretatione.
- Promtuarius adiuuãs Inuentionem
  - Deſcriptione rerum in certas claſſes.
  - Iſodynamia ſiue Æquiualentia.
  - Appoſitione adiunctorum & aduerbiorum.

Satiſne Latine dicatur, *Scio quod ſis doctus*, vel *Credo quod*, vel *Dico quod*: & quæ dicti ſit ratio.



Lerique omnes, qui haud vulgariter didiciſſe literas cum ſibi, tum cæteris videntur, hoc loquendi genus uelut minime Latinum explodunt, eiuſq; loco *Scio, Credo, Dico te eſſe doctum*, uſurpãdum eſſe contendunt: præcipuè uero magiſter meus Franciſcus Sanctius in Minerua ei ſe generi infeſtum præbuit, utq; barbarum eſſe & locuple-

pletibus linguæ latinæ auctoribus ignotum fuisse uinceret, summis uiribus annisus est. Ratione eam ad rem hac utitur, *Quod*, apud Latinos semper esse nomen Relatiuum, in quo substantiuum, ad quod refertur, subaudiri necesse sit. Relationem esse in isto Ciceronis: *Quod epistolam conscissam doles, noli laborare*. Ordinem enim & sensum esse: Noli laborare circa id quod, vel ex eo quod, vel propter id quod. Eandem esse rationem in his Terentij verbis Hec. act. 2. sc. 3. *Nam quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam*. Vbi Relationẽ esse ad nomen, quod subauditur, hoc modo Donatus agnoscit: *Deest* In eo, *vt sit*: *In eo quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam*. *An deest* Quod, *vt sit Propter quod*. Mallem dixisset *Ad* subaudiri, quod Græcis est κατὰ, vt dicimus: *Quid me accusas, Si quid te offendo, Nihil te moror, Ne me aliquid tibi succensere suspiceris, Si mihi imposuisses aliquid, animo iniquo ferrem*. In quibus omnibus *Ad*, per ellipsin suppressum esse in Grammaticis demonstraui, vbi & Vlpiani Iurisc. verba regulari syntaxi congruentia retuli: *Si ea res cursum fluminis ad aliquid immutauit*. Itaq; facile hoc Sanctio concedo, *Quod* semper nomen relatiuum esse: simul tamẽ in illis quoq; quæ ab eo damnatur loquendi generibus, Relationem esse, & præpositionem *Ad* subaudiri contendo. Operæ verò pretiũ facturus videor, si prius ipsum loquendi modum à melioris notæ auctorum consuetudine nequaquam abhorrere ipsorum verbis in medium allatis doceam, tum syntaxeos rationem, quam illi secuti fuere, subtilius indagem.

Plaut. Asin. act. 1. sc. 1. *Equidem scio iam, filius quod meus amet istanc meretricem è proximo Philenium.*

Idem Aul. act. 2. sc. 1. *Scio quod dictura es, hanc esse pauperẽ.* Ita est in optimæ notæ membranis.

Idem Pœn. act. 3. sc. 1. *Scitis rem, narraui vobis, quod vestra opera mihi opus siet.*

Ennius: *Vtinam mortem oppetam prius, quam eueniat quod in pauperie mea senex grauiter gemam.*

Cic. 7. famil. epist. 28. *Memini quod mihi desipere videbare, quod cum istis potius viueres, quam nobiscum.*

Idem 10. ad Attic. epist. 4. *Iurabat ad summam, quod nullo negotio faceret amicissimum mihi Cæsarem. Affirmabat, cum scripsisset, quod me cuperet ad vrbem venire, illum quidem gratias agere maximas, & nō modo probare, sed etiam gaudere.*

Idem Offic. 1. *Illud animaduerte, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur.*

Idem lib. 1. in Verr. *Is mihi etiam queritur, quod à nobis nouem solis diebus prima actio iudicii sui transacta sit.*

Idem alibi: *Bene facis, quod me adiuuas.*

Cato apud Plinium 29. cap. 1. *De Græcis istis dicā, quod bonum sit eorum literas inspicere, non perdiscere.*

Varro 1. rei rust. 7. *Cato dicit, quod prim⁹ ager sit, vbi vineæ possint esse bono vino & multo: secūdus, vbi hortus irriguus.* Et c. 2. *Verū est quod iubet ranā coquere in aqua.*

Idem 2. rei rust. 4. *Corpus matris à sacerdotibus, quod in salsura fuerit, demonstratur. Alij scripserunt, quod è Sicilia Hercules persecutus sit in Italiam nobilem taurum, qui diceretur Italus.*

Ibidem cap. 10. *Quod ad faturam humanam pertinet pastorum, facile est quod habeant conseruam in villa.*

Vitruu. initio lib. 10. *Vtinam dij fecissent, quod ea lex etiā populo Romano esset constituta.*

Liuius lib. 45. *Quam feliciter remp. administrauerim, & quod duo fulmina per hos dies domum meā perculerint, non ignorare vos Quirites arbitror.*

Asconius in Verrin. 2. *Moris veterum fuit, quod Prætor soleret pronunciare Dixerunt.*

Seneca rhetor 2. Controu. 5. *Apparet quod vtique non oportuit, si ne licuit quidem.*

Fuscus Arellius Horatij æqualis apud Senec. 1. Controuers. 2. *Probabo, quod non sit pudica.*

Hyginus Augusti libertus in Astronom. 217. *Nonnulli dicūt, quod hæc prima fuit Herculis cōcertatio.* Et 221. *De ceto dicitur, quod à Neptuno sit missus, vt Andromedam interficeret.*

Ouid. 5. Trist. 1. *Delicias si quis lasciuaque carmina quæris, Præmoneo numquam scripta quod ista legat.*

Quo loco praterire non possum acutissimã Tusci Lucumonis coniecturam, legendum scilicet, Præmoneo ne vmquã scripta cotista legat. *Ab Ouidio scilicet didicerunt hodierni Hetrusci* Cotesto. *quod significat* Iste.

Idem in epistola Sapphus in Vaticano codice:

Huc ades inque sinus formose relabere nostros,
Non quod ames oro, sed quod amare sinas.

Iã vt syntaxeos ratio fiat perspicua, illud præcipue animaduertendum videtur, in plerisque locorum istorũ *Vt*, pro *Quod*, nullo fere sensus discrimine vsurpari potuisse, velut ex ijs, quæ subijciam cognosci poterit.

Plaut. Amphit. act. 2. sc. 2. *Quis nisi vos narrauit mihi, illic vt fuerit prælium? Audiui vt Pterelam regem tute occideris.*

Ibidem Prologo: *Mos ille numquam meo fuit patri, vt exprobaret quod bonis faceret boni.*

Sic Mænec. act. 5. sc. 1. *An mos est ita hic, peregrino vt narrent fabulas?*

Idem Bacchid. act. 2. sc. 2. *Scis tu vt confringi vas cito Samium solet.*

Idem Mostell. act. 1. sc. 1. *Non verum loquere, vt quis absens absentem comesse possit.*

Idem Merc. act. 2. sc. 1. *Mihi illud videri mirum, vt capra vxoris dotem ambadederit.*

Idẽ Pæn. act. 5. sc. 2. *Si ita est, vt tu sis Iacchonis filius.*

Idẽ Amph. act. 1. sc. 1. *Factũ est, vt ego illud vini ebiberĩ.*

Idem Trin. act. 2. sc. 2. *Factum est vt istud perierit.*

Cicer. 9. Attic. epist. 11. *De Domitio ita opinor esse, vt in Cosano sit, & consilium eius ignoretur.*

Idem 14. Attic. epist. 14. *Accedit, vt ne in ipsũ quidẽ Clodium meum insigne odium fuerit vmquam.* quomodo sæpe Lucretius.

Idem pro Sex. Roscio. *Non est verisimile vt Chrysogonus horum literas adamarit.*

Varro 1. rei rust. 2. *Verum dicit vt ille hoc scripserit.*

Hygin. Astron. 195. *De Cassiopeia plures dixerũt, vt gloriata sit se forma Nereidas superare.* Et 229. *De Phaeton*

tonte plures scripserunt, vt patris curru vectus terras incenderit.

Quinctilian. Declam. 254. *Satis est vt nihil finxerit.*

Terent. Hec. act. 3. sc. 4. *Vouit si saluus domum redisset, vt me ambulando rumperet.*

Liuius lib. 22. num. 53. *Ex animi sententia iuro, vt ego rempub. non deseram.*

Ita discimus, eandem prorsus verborum esse sententiã, siue quis dicat, *Narrauit, Audiui, Scripsit, Verum est, ibi fuisse prælium, vt fuerit ibi prælium: quod fuerit ibi prælium.* Similiter *Facile est vt hoc fiat, quod hoc fiat, & hoc fieri. Vouit quod sacra faceret, vt sacra faceret, & sacra se facturũ. Mos est hominum quod obliuiscantur beneficia, vt obliuiscãtur beneficia, & obliuisci beneficia. Satis est quod nihil finxerit, vt nihil finxerit, & nihil finxisse. Iurauit quod faceret, vt faceret, & se facturum.* Hoc ita stabilito proximum est, vt particula *Vt*, modum seu similitudinem cogitemus significari, ipsamque Relatiuam esse, cui particula *Sic*, vel *Ita* siue expressa, siue per ellipsin suppressa respondeat. quod quidem ita καθολικὸν ac perpetuum est, vt etiam tum locum habeat, quando vel causam finalem, vel tempus, vel votum, vel abominationem, vel hypothesin per particulã *Vt* exprimimus: quam rem quoniam vel summi in literis viri non nisi per caliginem intelligere se declarant, minime operam lusero, si distinctius singularum particulæ significationum exempla recitem, & nusquam non similitudinem vna significari doceam. Sic enim de eo, quod fuerat nobis propositum, exploratius constitui poterit.

Causa ergo finalis aut Finis per *Vt*, significatur in hoc Terẽtij Andr. act. 4. sc. 2. *Orare iussit hera, si se ames, iam vt ad se venias.* pro ea causa orare vt venias. Sic quippe Plautus Sticho act. 2. sc. 3. *Nimis vellẽ hæ fores herum fugissent eã causa vt haberẽt malũ.* pro ea de causa, qua de causa haberẽt malũ, siue *Qui*, idest, qua re haberent malũ. Terent. Eun. act. 3. sc. 3. *Vbi veni, causã vt ibi manerẽ reperit.* Similitudinem verò hic significari & ad particulam *Sic* vel *Ita* suppressam, fieri relationem, hinc perspici potest.

Plaut.

Plaut. Stich. act. 1. sc. 2. *Amici mihi ita auctores sunt: vt vos hinc abducam.*

Ibid. act. 4. sc. 1. *Deliberaui cum amicis, ita mihi auctores fuere, vt me iugularim fame.*

Idem capt. act. 4. sc. 2. *Ita dico, magnus vt sit ignis. Quin ita faciam, vt te cupias facere sumtum.*

Idem Bacch. act. 1. sc. 2. *Hac ita me orat, vt aliquem hominem sibi reperiam, qui sibi caueat.* Et act. 2. sc. 1. *Veniat miles ita ne mihi sit mora.* pro Ita vt ne sit.

Idem Milit. act. 1. sc. 2. *Eum ita faciemus, vt quod vidit, non viderit.*

Terent. Heaut. act. 4. sc. 1. *Nunc ita tempus est, vt cupiam filiam.*

Idem Adel. act. 3. sc. 2. *Qui se in sui gremio positurũ puerum dicebat: patres*

Ita obsecraturum, vt liceret sibi hanc vxorem ducere,

Ita in Basilicano ac plerisque alijs codicibus legi Faernus testatur, qui non animaduerti Patris *(quod in Bẽbi & Vaticano codice inuenerat) esse priscũ accusatiuũ. Aeschinus porrò duos habebat patres, quos oratur⁹ erat, Micionẽ & Demeã.*

Cicer. 2. Tuscul. *Non sum ita hebes vt ista dicam.*

Idem 13. famil. epist. 70. *Quia non est obscura tua in me beneuolẽtia sic fit, vt multi per me tibi velint cõmẽdari.*

Idem 5. Attic. epist. 11. *Nihil à me fieri ita videbunt, vt sibi sit delinquendi locus.*

Idem . . . *Plane ita faciunt, vt me vnice diligant.*

Propert. lib. 2. eleg. 13. *Iussit & Ascraũ sic habitare nemus, Non vt Pieriæ quercus mea verba sequantur, Sed magis vt nostro stupefiat Cynthia versu.*

Tempus significat eadem particula, quando idem quod *Postquam* valere vulgo dicitur, vt in hoc Ciceronis: *Is vt me salutauit, statim profectus est.* Verum & hic similitudinem adsignificari, & *Sic* vel *Ita* subaudiri, non est dubium.

Cicero . . . . *Ille vt erat lena amictus, ita venit in concionem.*

Lucret. 3. *Tu quidem vt es leto sopitus, sic eris aui Quod super est cunctis priuatus doloribus ægris.*

Liuius 21. *Saguntini vt à prælijs quietem habuerant per aliquot dies, ita non nocte, non die vmquam cessauerant ab opere.*

Voti significationem habet *Vt*, quando pro *Vtinã* vsurpatur, vt in hoc Terentij Adel. *Vt te Syre magnus perdat Jupiter*. Sed nemo nisi indoctissimus dubitauerit, quin subaudiatur *Ita oro* vel *precor*. nam pro *Vt*, *sæpe Qui* positum legimus, qui est ablatiuus, in quo subauditur *Modo*, quasi esset Hoc modo precor, quomodo Iupiter te perdat, id est, ita te perdat, vt ego precor.

Terent. Andr. act. 2. sc. 1. *Fac qui detur tibi: ego id agam. mihi qui ne detur.*

Idem Phorm. act. 1. sc. 2. *Quidam Phormio qui illũ Dij omnes perduint.*

Plaut. Rud. act. 4. sc. 4. *Qui te Dij omnes perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis.*

Idem Trin. act. 4. sc. 2. *Hem istic erit, qui istum Dij perdant.*

Ennius Telepho: *Qui illum Dij deaque magno mactassint malo.*

Hoc autem loco obseruationem meretur, pro *Qui*, vel *Vt*, etiam *Quod* rectè vsurpari, vt integrior oratio sit: Ita Deum precor vt te perdat, qui tibi det malum, quod tibi malum duit: cuius syntaxeos rationẽ mox videbimus: interea de Vsu hinc constabit.

Plaut. Pseu. act. 4. sc. 7. *Strenui damno mihi, improbi vsui sunt. SI. malum quod tibi Dij dabunt, qui sic scelestus es.*

Idem Mostell. act. 3. sc. 1. *Malum quod isti dij deaq; omnes duint, Ita mea consilia peruertit penissime.*

Iam Abominationem particula *Vt*, exprimi vulgo censent, cum eam post verba timoris negandi vim habere contendũt. Terent. Andr. *Metuo vt substet hospes.* Id enim valere aiunt, Puto hospitem non substiturum, idque abominor & euenire nolim: sicut eadem fabula act. 2. sc. 2. *Tu Pamphile times ne ducas, tu autem Charine vt ducas vxorẽ.* Verum satis iam planum fecit Sãctius, *Vt*, nihil aliud, quã simi-

similitudinē in hic significare, quodq; de negatione dicunt, perspicuè falsum esse. nam pro *Vt*, nullo sensus discrimine *Quomodo*, vel *Quemadmodum* dicere licet, & cum negare volumus, negandi particulam exprimimus. Verbi gratia.

Cicer. 10. famil. epist. 10. *Timeo quemadmodum hæc explicari possint.*

Idem pro Milone: *Esset vero timendum, quonam modo id ferret ciuitas.*

Lib. 4. ad Heren. *Tametsi vereor quomodo accepturi sitis.*

Idem pro Marcel. *Vereor vt hoc intelligi non possit.*

Idem Tusc. 2. *Veremur vt hoc natura non patiatur.*

Cæsar belli Gall. lib. 5. *Labienus veritus si ex hibernis fuga similem profectionem fecisset, vt hostium impetum sustinere non posset.*

Quintilian. lib. 8. cap. 3. *Vocabulum Oppido, quo sunt vsi paulum tempore nostro superiores, vereor vt non iam ferat quisquam.*

Horat. 1. Sat. 3. *Nam vt ferula cadas meritum maiora subire Verbera, non vereor.*

Verum quidem est, plerumque *Vereor ne non possit*, vel *Vereor vt possit*, pro *Vereor vt non possit*, in auctoribus inueniri: cuius simile quiddam in alijs quoq; generibus vsuuenit. Verbi gratia. Eodem sensu dicitur: *Caue vt credas, caue credas, caue ne credas, & caue credere. Vetas me flere, vetas vt fleam, vetas ne fleam*. qua de re alias videro. nunc satis sit monuisse, *Vt*, in istis modum significare siue affirmare eam, siue negare statuamus. quod ipsum non minus fit, vbi *Vt* cum alijs verbis iungitur, aut iunctum intelligitur. Tanquam

Plaut. Epid. act. 1. sc. 1. *Id modo videndum est, vt materies suppetat scutarijs, si in singulis stipendijs is ad hostes exuuias dabit.*

Cic. 7. Attic. epist. 14. *De mulieribus vide ut satis honestum nobis sit, eas Romæ esse, cum cætera vlla dignitate discesserint.*

Idē 14. fam. epist. 14. *Si fæminæ vestri similes Romæ non*

sunt.

sunt videndum est, vt honestè vos esse possitis. Ita omnes libri, quibus inuitis *Verendum* reponere stultitia est.

Ibid. epist. 18. *Videte ne non liceat exire cum velitis.*

Idem de Fato: *Vide ne non eadem illorum causa sit & Stoicorum.*

Varro lib. 9. de ling. lat. *Non tam hanc partem ab illa diuidendum, quam illud videndum, vt satis sit verecundi etiam illam in eandem arenam vocare pugnatum.*

Idem 2. rei rust. 4. in fine: *Cum circumspiceret Atticus, ne quid præterisset, Hoc silentium, inquit, vocat alium ad partem.*

Senec. epist. 98. *Calamitosus est animus futuri anxius, qui solicitus est, vt ea, quibus delectatur, ad extremum vsque permaneant.*

Plaut. Captiu. act. 1. sc. 2. *Ad alios captiuos meos visam, ne hac nocte quippiam turbauerint.*

Idem Persa act. 1. sc. 2. *Visam hesternas reliquias, quieuerintne recte, num infuerit febris, opertæ ne fuerint, ne quis obreptauerit.*

In horum locorum alijs satis planum est, *Vt*, significare *Quemadmodum*, in alijs vna cum *Ne*, subauditur, etsi *Ne*, pro *Num* quoq; accipi videtur posse. Sed vt ad Abominationis significationem redeam, eã non minus per *Quod*, quã p *Vt*, exprimi posse, hic Plauti versus nos docet Asin. act. 2. sc. 1. *Quid illuc, quod exanimatus currit hoc Leonidas? metuo quod illic obscauauit mea fallacia.* id est, metuo ne ille fallaciæ, quam paro, malum omen attulerit, sicut idem Milit. act. 2. sc. 6. *Nunc pol metuo ego ne quid infuscauerit.*

Tandem Hypothesin vel conditionem *Vt*, significat cũ per *Etsi, Quamuis* vulgo explicatur, velut in hoc Ouidij: *Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.* Et in isto Cic. *Vt summa haberem cætera, temporis certe vix satis habui. Hæc vt ego absim nihilominus confici possunt.* In his porro concisa est oratio, cum subaudiatur, *Fac ita*, vel *Da*, vel *Pone*, vel *Ita res esto*, vt Terent, Heaut. act. 5. sc. 2. *Ita ne tandem*

dem est, vt pater omnem animum patris eiecerit. Et Massurius Sabinus apud Agellium lib. 4. cap. 20. *Cur ita est, vt tu sis quam equus curatior?* Non minus autem per *Quod* Hypothesin significari, multis auctorum locis demonstrari potest, quorum nonnulla hic placet subijcere. sic enim id quod recepimus, multo minore negotio lectori probabimus.

Plaut. Asin. act. 4. sc. 1.

Alienum hominem intromittat neminem
Quod illa aut amicum aut patronum nominet,
Aut quod illa amicæ suæ amatorem prædicet.
Fores occlusæ omnibus sient nisi tibi.
Quod illa dicat peregrè allatam epistolam,
Ne epistola quidem vlla vspiam sit in ædibus.

Idem Aulul. act. 1. sc. 2.

Caue quemquam alienum in ædes intromiseris.
Quod quispiam ignem quærat, exstingui volo.

Idem Milit. act. 2. sc. 2.

Quemque à milite hoc videritis hominem in nostris tegulis
Extra vnum Palæstrionem, hunc deturbatote in viam.
Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
Dicat, disperistis, ni vsq; ad mortem male mulcassitis.

Terentius Eunuc. act. 4. sc. 7.

Sane quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est.

Ibid. act. 5. sc. 9.

Si in platea hac te offendero post vmquam, quod dicas mihi,
Alium quærebam, iter hac habui: periisti.

Cic. in Pison. *Nam quod iste vobis tantummodo impudens & audax videatur, nihil scitote esse luxuriosius.*

Idē 11. Attic. epist. 9. *Literas Quinti fratris ad te remisi quas si putabis illi ipsi vtile esse reddi, reddes. nihil me lædent. nam quod obsignatæ sunt, habet, opinor, eius signum Pomponia.*

Idem 2. Attic. 6. *Quod tibi superioribus literis promiserā, fore*

fore vt opus exstaret huius peregrinationis : nihil iam magnopere confirmo.

Idem 3.Attic. 13. *Quod ad te scripseram me in Epiro futurum: posteaquam extenuari spem nostram vidi, mutaui consilium.*

Propert.lib.3.eleg.1. *Quod non Tanarijs domus est mihi fulta columnis, At Musæ comites, at carmina cara legenti.* Pro quo Lucretius & Virgilius dixerunt : *Si non, at.* pro *Etsi non, tamen.*

Ouid. *Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit, Multa dedit multis vulnera, multa dabit.*

Idem epist.Helenæ : *Quod bene te iactes, & fortia facta loquaris: A verbis facies dissidet illa tuis.*

Auctor liberi carminis: *Quod sim ligneus, vt vides, Priapus, Prendam te tamen & tenebo prensam.*

Ex istis discimus, *Vt* & *Quod* sæpissime eamdem significandi vim habere, quemadmodum in istis quoque vsuuenit, quæ multo videbuntur insolentiora.

Plaut.Milit.act.2.sc.2. *Ferit femur ita vehementer, quod tactui ægre suppetit.*

Idem Merc.act.3.sc.1. *Magis est quod rideas, quam vt lamente re.*

Idem Curc.act.2.sc.3. *Facite ventum vt gaudeam.*

Terẽt. Phorm.act.5.sc.2. *Vin facere quod ego gaudeam, quodq; viro tuo oculi doleant.*

Cic.7.famil.epist.10. *Est quod gaudeas te in ista loca venisse.*

Valer. Maxim.lib.4.cap.7.nu.3. *Adeo blando vteris imperio, quod is supplicium honori prætulerit.*

Cælius ad Cicer.8.famil. epist.3. *Hoc vsq; eo suaue est, quod tota vita risus nobis deesse non poterit.*

Nunc vt ratio Syntaxeos, quam inuestigamus, expediri possit, in primis animaduertendum venit, *Vt*, particulam similitudinis significandæ vim habere, adeoque ad antecedens *Ita*, vel *Sic*, vel *Ad eum modum*, *Ad id exemplum*, vel ad *Eo modo*, *Eo pacto*, tamquam ad correlatum suum (vt Logici loquuntur) referri, siue aliquod correlatũ

sit

ſit expreſſum,ſiue per ellipſin ſuppreſſum. Expreſſi exemplum eſt in hoc Catonis de re ruſt. cap. 78. *Ad eumdem modum facito vt placentam ſine melle*. pro quo figuratè dixiſſet: *Facito vt placentam*. Et in hoc Plaut. Mercat. act. 2. ſc. 1. *Non ita amo, vt ſani ſolent homines, ſed eodem pacto vt inſani ſolent. Amaui hercle equidem ego olim in adoleſcentia. Verum ad hoc exemplum numquam, vt nunc inſanio*. Vbi *Eodem pacto*, & *Ad hoc exemplum* per figuram omitti poterant. Et in hoc eiuſdem Bacch. act. 5. ſc. 2. *Scin quo pacto me ad te introducas? B. mecum vt ſis*. pro Eo pacto vt mecum ſis, ſiue Ita vt mecum ſis. Et Capti. act. 4. ſc. 1. *Eodem pacto, vt Comici ſerui ſolent, conijciam in collum pallium*. Et Rudent. act. 4. ſc. 7. *Nullus erat illo pacto vt illi iuſſerant*. Suppreſſi correlati exempla paſſim ſunt obuia, quorum non pauca ſupra recitauimus, velut Plauti: *Factum eſt vt iſtud perierit. Narrauit mihi vt illic fuerit prælium, Audiui vt regem occideris*. Eiuſdem eſt hoc Perſa act. 1. ſc. 1. *Facere amicum tibi me potes ſempiternum S. quemadmodum? T. vt mihi des nummos ſexcentos mutuos*. Subaudimus, *Ad hunc modum*. quod eſt *Ita*. Et Trinum. act. 3. ſc. 1. *Quomodo tu iſtuc dixiſti Lesbonicum ſuam ſororem deſpondiſſe? hoc modo?* Vnde intelligimus, ſi dictum fuiſſet: *Dixiſti vt Lesbonicus ſororem deſponderit*: ſubaudiendum *Hoc modo* quaſi eſſet: *Ita dixiſti, vt deſponderit*.

His ita ſuppoſitis ac præmunitis in mentē nobis veniat, pro *Quis mod⁹* Latine dici ſolere, *Quid modi*, vt Aſin. act. 5. ſc. 2. *Quid modi pater amplexādi facies?* Et ibid. act. 1. ſc. 3. *Qui modus dādi? Quid modi eſt amādi?* pro quo Merc. act. 3. ſc. 4. dixit. *Quis modus tibi exilio tandem eueniet? qui finis fugæ?* Pariter proinde pro *Is modus*, recte dicemus *Id modi*. Sicut *Id loci* pro Is locus, *Id cauſa* pro ea cauſa. Ergo ſi *Id modi* ſiue expreſſum, ſiue ſuppreſſum anteceſſit, rectè *Ad quod* & per ellipſin *Quod* ſubijcitur, cuius exemplum eſt in hoc Plauti Aulul. act. 1. ſc. 2. *Ne cauſa quid ſit, quod te quiſquā quæritet*. pro Ob, ſiue ad quod cauſę: pro quo dici poterat: *Ne cauſa quid ſit, vt te quiſquā quæriret*. quomodo Cic. pro domo. *Ne quid eſſet, vt lugerēt boni ſēper*. pro Ne quid eſſet cauſæ. Et Ouid. 3. Triſt. 4. *Quid fuit, vt tutas agi-*

taret Dædalus alas, Icarus immēſas nomine ſignet aquas. Pro quid cauſę ſeu quæ cauſa fuit cur, vel ob quam. Nam *Vt*, eſt *Quo modo*, Modus autem per Tropum ſignificat alias Finalem cauſam (ex quo *Finis* & *Modus* ſæpe idem ſignificant, vnde Cic. *Modum faciam*, pro finiam epiſtolam & *Modum ac finem orationi facere)* alias efficientem propter quam quid fit. Plaut. Pſeud. act. 4. ſc. 3. *In metu ſum triplici modo*. id eſt, tribus de cauſis. ex quo intelligimus, quomodo *Vt*, poſt verba timoris cauſæ ſignificationē habeat. Terent. Phorm. act. 3. ſc. 1. *Enimuero Antipho multis modis cum iſtoc animo vituperandus es*, pro Multis de cauſis. Et Hecyr. act. 2 ſc. 3. *Filium multis modis iam exſpecto vt redeat domum*. Vbi ſi cum Plauto dixiſſet, *Triplici modo filiū exſpecto vt redeat*, nemo dubitaret quin *Vt*, eſſet *Quomodo* ſeu *Qui*. Ita planum fit, quæ in iſtis ſit conſtructio. Terēt. Andr. act. 2. ſc. 5. *Sed eſt quod ſuccenſet tibi*. pro Eſt aliquid cauſę, ſiue Eſt aliquod negotium propter quod ſuccenſet. Idem Hecyr. act. 2. ſc. 2. *Eſt quod me tranſire ad forum iā oportet*. Plaut. Rud. act. 2. ſc. 6. *Bonam eſt quod habeas gratiam merito mihi*. Cic. 4. Attic. epiſt. 8. *Ignoro quid ſit, quod ſe à me remouit*. Plaut. Stich. act. 1. ſc. 2. *Hoc eſt quod ad vos venio, quodq; eſſe ambas conuentas volo*. Nimirum figuratæ ſunt id genus locutiones, propter duplicem ellipſin. Prius enim ſubauditur *Aliquid* vel *Illud Cauſæ* aut *negotium*. Deinde præpoſitio *Ad* ſupprimitur, à qua *Quod* accuſatiuus regitur. *Ad*, porrò alias Finali (vt Scholarum lingua loqui pergam) alias Impulſiuæ cauſæ ſignificandæ ſeruit. Finis ſignificatur in iſtis. Cic. *Gladiatores emit ad cædem*. *Ad memoriam ſēpiternam*. *Ad quid laboramus res Romanas*: & per ellipſin *Quid fruſtra laboramus*. Liuius: *Ad fidē tantarum rerum effundi annulos iuſſit*. Impulſiua in iſtis: Cic. *Quæ mihi à te ad timorem amantiſſime proponuntur*. Liuius: *Cum abactæ boues ad deſiderium relictarum mugiſſent*. Prop. *Pāditur ad nullas ianua nigra preces*. In hoc ergo Lentuli ad Ciceronem 12. famil. epiſt. 14. *Quod huc properent venire, cauſam nō habent*: pro Ad quod negotium, finis ſignificatur, qui non minus per *Vt*, vel *Cur*, vel *Quare*, vel

Qua-

Quamobrem exprimi poterat, vt Terent. Hecyr. act.3. sc. 3. *Causam vides, quamobrem hæc à te abierit.* Cic.13.fam. epist.7. *Non erat causa, cur à te aliquid contenderem.* Et Heren. 2. *Causam ostendemus Vlyssi fuisse, quare interfecerit Aiacem,* Terent. Eunuc. act.3. sc.3. *Vbi veni, causam vt ibi manerem reperit.* In isto vero Ciceronis 7. Attic. epist. 9. *Si ob eam causam, quod ratio eius non habeatur, exercitum adducat.* pro Ad quod causæ, siue ad quod nomen: causa propter quam, siue impellens significatur: quo ipso sensu dici quoq; poterat: *Si exercitum adducat, ad quod ratio eius non habeatur.* Sic quippe non semel Terentius, Cicero & Liuius loquuntur, idq; Paulus Manutius sibi notauit. Est autem imminuta ac per ellipsin concisa oratio, quæ sic foret integra: Si ad id nomen exercitum adducat, ad quod nomen ratio eius non habeatur. Vbi *Nomen* pro Causa ponitur, sicut in illo Virgilij: *Quo nomine læsa, Quid ve dolens regina Deum.* de quo in Paradoxis literarijs epist. 7. plura disputauimus. Sæpius autem *Quod* ponitur pro Ad quod negotium rei, ad quod rei, vel ad quod modi. Plaut. Ampli. act.1. sc.3. *Quid istud est negotij, quod tu tam subito domo abeas* pro Ad quod siue ob quod abeas. Terent. Andr. act.4. sc.3. *Si quid est quod mea opera opus sit vobis.* pro si quid est negotium ad quod opus sit. Plaut. Asin. act.1. sc. 1. *Scio quod filius meus amet meretricem.* pro scio ad quod modi amet, scio modum, ad quod modi amet, siue quemadmodum amet: sicut Bacchid. act.3. sc.3. *Ego omnem rem scio quemadmodum est.* pro Ad eum modum rem scio, ad quem modum est cuius generis plena oratio est ist: Vitruuij lib.6. cap.1. *Reliquæ regiones ad eum modum temperatæ, quemadmodũ cælum est ad inclinationẽ mũdi collocatũ.* Similiter in hoc Varronis lib.1. rust.2. *Verum dicit vt ille hoc scripserit.* pro *Vt* dici poterat *Quemadmodum*, vel *Quomodo* aut *Quo pacto.* nam & ita Plautus Capt. act. 2. sc. 3. *Dicito patri quo pacto mihi conuenerit de filio,* pro Dicito modum seu pactum, quo pacto conuenerit. Si dixisset: *Dicito quod mihi conuenerit:* esset, dicito pactum, ad quod pactum conuenerit. Ita Plaut. Merc. act.4. sc.4. *Miraris* quod

quod cocus hæc attulit, pro Miraris modum, ad quod modi cocus hæc attulit. nam eodem sensu dici poterat, *Miraris vt hæc cocus attulerit*. quomodo eadem fabula act. 2. sc. 1. *Mihi illud videri mirum, vt capra simiæ dotem ambadederit*, pro quomodo ambadederit. velut Laberius Casulerio: *Miror quomodo mammæ mihi descenderunt*. pro Miror modum, quo modo descenderunt. Itaque *Miror quod descenderunt*, est Miror modum ad quod modi descenderũt, vt Quod significet idem prorsus quod Quemadmodũ, cuius illustre exemplum est hoc Ciceronis 13. famil. epist. 40. *Si vlla vmquam apud te mea commendatio valuit, quod scio multas valuisse plurimum, hæc vt valeat rogo*. Hic enim Quod, est Ad quod modi, sicut etiam in isto Plauti Aulul. act. 2. sc. 5.

Hic apud nos magna turba ac magna familia est,
Supellex, aurum, vestes, vasa argentea.
Vbi si perierit quippiam (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obuiam est)
Dicant, Coci abstulerunt, comprehendite.

His duobus exemplis iam triginta duo sunt anni cum vocis Quod vsum publicè ostendi, sed Rationẽ neque ipse tum vidi, neque quisquam eorum, qui quod à me didicerant, tamquam suo marte inuentum in libros suos retulerunt. Dehinc nihil erit caliginis nõ modo in isto, quod hoc loco monui, sed neque in multis alijs loquendi generibus, vbi Quod per ellipsim præpositionis significat *In quo* vel *de quo negotio*, vel *Quantum attinet ad negotium præsens*, siue *de quo sermo est*, velut ex subiectis exemplis intelligi poterit.

Terent. Eun. act. 2. sc. 1. *Munus nostrum ornato verbis, quod poteris, & istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito*. pro Ad quod poteris, quoad poteris, In quantum poteris.

Idem Heaut. act. 3. sc. 1. *Quod potero, adiutabo senem.*

Idem Andr. act. 1. sc. 5. *Huius formam atque ætatem vides, nec clam te est, quam illi nunc vtraque inutilis & ad pudicitiam & ad rem tutandam fiet. Quod ego te* per-

per hanc dextram oro, ne abs te hanc segreges, neu deseras.

Idem Hecyr. act. 3. sc. 2. *Male metuo, ne Philumenæ magis morbus aggrauescat. quod te Aesculapi, ne quid sit huius, oro.* Vbi perperam Muretus. *Quod* αἰτιολογικῶς pro *Propter quod* dictum interpretatur, cum sit *Ad quod negotium quantum attinet.*

Idem Adel. act. 3. sc. 2. *Nunc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant, auxilij nihil afferant.* pro Nunc illud est tempus, ad quod nihil afferant auxilij. nam *Ad* in tempore significando vsui esse solet, vt Phorm. act. 3. sc. 2. *Tibi est olim dies, ad quam dares, præstituta.* Cic. *Venit ad id tempus, quod scribis. Ad Iauuarium te exspectamus.*

Idem Heaut. act. 1. sc. 1. *Hæc inter nos nupera notitia admodum est, inde adeo quod agrum hic in proximo mercatus es.* pro Inde ab eo tẽpore, ad quod tẽpus mercatus es.

Plaut. Amphit. act. 1. sc. 4. *Iamdiu est, quod ventri victũ non datis. Iampridem videtur factũ, quod homines quatuor in soporem collocastis.* pro Ad quod tempus.

Cic. 7. fam. epist. 28. *Memini quod mihi desipere videbare.* pro Memini tempus illud ad quod videbare desipere. Vel, Ad eum modũ memini, ad quod modi.

Idem 14. fam. epist. 4. *Cum omnia mihi tempora sunt misera, tum vero cum scribo ad vos, cõficior lacrimis sic, vt ferre nõ possim. Quod vtinã vitæ minus cupidus fuissẽ, certe nihil in vita mali vidissem⁹. Quod si nos ad aliquam spẽ fortuna reseruauit, minus est erratũ à nobis.* Hic bis *Quod* valet *Ad quod negotiũ*, idest, ad quod negotiũ, siue ad quã rẽ quod attinet. Fallitur Manutius, qui *Quod* p *Sed* cũ hic, tũ alibi positũ ait. Alicubi .n. ridicula fieret oratio, si quis *Sed* pro *Quod* reponeret. Ita Ter. Phorm. act. 1. sc. 3. *Rogas, qui tã audacis facinoris mihi sis cõscius? Quod vtinã ne Phormioni id suadere in mẽtẽ icidisset.* Pari modo *Quod ni*, vel *Quod nisi*, *Quod si*, *Quod etsi*, *Quod ne*, *Quod cũ*, *Quod vbi*, *Quod nunc*, *Quod quoniam*, *Quod quia*, *Quod id*,

E apud

apud optimos auctores legimus, in quibus semper *Quod* refertur ad præsens negotium, in eoque præpositio *Ad*, subauditur, adeoque nihil horum in principio orationis, vbi nihil sit quod præcesserit, rectè vsurpatur.

Cic. *Quod ni ita putarem, ipse perscriberem*. Et Terent. Phorm. act. 1. sc. 3. *Adeon rem rediisse, vt patrē extimescam, vbi aduenti eius in mentem venit? Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarem vt par fuit*. Ita etiam Lucret. & Liuius.

Idem de Finib. 4. *Quod & si ingenijs magnis præditi quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur: ars tamen est dux certior, quam natura*.

Idem in Lucullo: *Quid ergo est, quod percipi possit, si ne sensus quidem vera nunciant? quos tu Luculle communi loco defendis. quod ne id facere posses, icci rco heri non necessario loco contra sensus multa dixeram*: Hoc ita imitatur Apuleius: *Quod ne vobis videar poetico ritu incredibilia fingere, dabo exemplum*.

Idem lib. 1. in Verrem num. 26. *Simul seruis suis Rubrius, vt ianuam clauderent, imperet Quod vbi Philodamus intellexit id agi, vt filiæ suæ vis afferretur, seruos suos ad se vocat*.

Cæsar belli ciuil. 2. de Massiliæ obsidione: *Portæ, quibus locis videatur, eruptionis causa in muro relinquuntur. Quod vbi hostes viderunt, ea quæ longo spatio refici non pōsse sperassent, paucorum dierum labore refecta esse, ad easdem deditionis conditiones recurrunt*.

Idem belli ciuil. 3. *Munitionem cohortes ignorantia loci sunt secutæ, cum portam quærerent castrorum, quod eā munitionem esse arbitrarentur. Quod cum esset animaduersum coniunctam esse flumini protinus his munitionibus defendente nullo transcenderunt*.

Liuius lib. 41. num. 10. *Consul vtrumque decedere prouincia iussit. Quod cum milites se consuli dicto audientes fore dicerent, cum is more maiorum votis nun-*

cupatis

cupatis profectus ab vrbe esset, furens ira catenas poposcit.

Cicer. 9. famil. epist. 15. *Nam quod me amas (quod id & iampridem & constanter facis) est id quidem magnum, sed tibi commune cum multis* pro Ad quod modi, seu Quemadmodum id facis.

Idem extremo lib. 1. de Finib. *Voluptatibus amicitiæ nō solum præsentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. Quod quia nullo modo sine amicitia firmam iucunditatem vitæ tenere possumus, iccirco amicitia cum voluptate connectitur.*

Cœlius 8. famil. epist. 14. *Neque mearum rerum quid consilij capiam reperio. Quod non dubito quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura.*

Lucret. lib. 1. vers. 221.

Quod nunc æterno quia constat semine quæque,
Nullius exitium patitur natura videri,

Et vers. 591. —— *paruissima quæ sunt,*
Ex infinitis constabunt partibus æque.
Quod quoniam ratio reclamat vera negatque.
Credere posse animum, victus fateare necesse est,
Esse ea, quæ nullis iam prædita partibus extent.



VIRO CLARISSIMO
LVCÆ HOLSTENIO
HAMBVRGENSIS
ECCLESIAE
PRAEPOSITO
MARIANGELVS A FANO
BENEDICTI S.P.D.



Tsi te literarum Græcarum & Latinarum hac nostra ætate cum primis peritum bonorum auctorum lectio, multaque tam versa, quam prorsa oratione scribendi exercitatio nihil de ijs, quæ rectè, ac secus latinè dicuntur, ambigere patitur: nequaquam tamen dubito, quin idem ipsum tibi, quod alijs maximi in literis nominis, vsuueniat, vt te occultas eorum causas, quæ Latini sermonis fert consuetudo, *Grosippo* facem prælucente penitus conuisere delectet. Cum enim scire natura iucundum sit, nihil vero sciri possit, cuius causa ignoretur, fieri omnino nequit, quin etiam vbi rem quampiam noris, eius causam discere gaudeas, ea vero ignorata imperfectum ex rei notitia fructum capias. Inter alia vero multa loquendi genera, quorum rationem ante Grosippum nemo expedire sciuit, nosti esse illum *Visum ire & iri*. vbi Grosippus duplicem ellipsin

esse

esse monuit, vt plena regularique syntaxi consentanea sit oratio, *Viam ire* vel *iri ad visum*, hoc est, ad videndum. Huic porro consequens est, vt in Catonis loco, quem Agellius recitat, legendum sit: *Contumelia quam mihi per huiusmodi petulantiam factum itur*. non vt Agellius alucinatur: *Quæ mihi factum itur*. Rationes Paradoxo eius secundo pag. 13. & Grammaticæ pag. 132. visas tibi esse non dubito. quibus addas licet, cum Plautus in Amphitruonis Prologo dixerit: *Iustam remoratum à vobis veni* ei, qui roget, *Ad quid venitur?* recte responderi *Remiustam oratum venitur*. nam Accusatiuus ab *Oratum* regitur, & Verbi Finiti *Venitur* suppositum si audimus, quod est *Aduentus* seu *Venire*. Nemini proinde dubium esse potest, quin rectè quoque dicam, *Rem iustam oratum itur*, & *Rem iustam oratum iri videtur*. pro ad orandum rem iustam iri videtur, nempe *Iter* seu *Viam*. Est autem Tropus duplex in hoc genere *Via itur oratum* siue *ad orandum*, pro *Orabitur*, seu per periphrasin *Erit vt oretur*. nam *Viam ire, tendere, intendere* aut *insistere* pro *Velle* aut *Conari* per Metaphoram dicitur. Sed *Velle facere* pro *facere* est Metonymia causæ pro effecto, cum Voluntas & Facultas actionum causæ sint, qua de re Grosippus in Propædia Rhetorica agit copiosius. Iam satis tibi apparere opinor, recte dictum esse, *Rem iustam oratum veniri videtur*, non *Res iusta*, quoniam, vt dixi, *Rem iustam* regitur ab *Oratum*. Similiter itaque & *Rem iustam oratum iri videtur*, dicendum est, non *Res iusta*. Sensus quippe est, *Iri videtur à legatis vt orent rem iustam*, prorsus vt si dictum sit; *Ire videntur legati oratum rem iustam*. Atque hinc planum fit apud Fabium legi oportere. *Reum paricidij damnatum iri videbatur*, nempe à Iudicibus. hi scilicet ire videbantur, vt damnarent paricidij reum. Perinde ergo est ac si dicas: *Ad damnandum paricidij reum iri videbatur*. Neque vero quicquã negotij Grosippo facessit, quod apud Ciceronem de Inuentione 2. quo loco de Controuersia scripti & sen-

tentię agit, hoc modo legitur: *Si ipsa separatim ex sc- verba considerentur, omnia aut pleraque ambigua visum iri.* Deest enim verbum *Esse*, vt integra oratio sit: *Visum iri omnia verba esse ambigua.* quo exemplo & Plinius lib. 7. cap. 1. *In quibus prodigiosa aliqua multis visum iri haud dubito*, pro Viam iri ad visum (id est, vt videatur, hoc est fore vt videatur multis) aliqua esse prodigiosa.

Obscurissima quoque, vel doctis est dicti ratio in hoc Terentij Hecyra act. 5. sc. 1.

Iam ea ætate sum, vt non sit peccato mihi ignosci æquum.

Donatus putat aut deesse *In*, vt sit in peccato, aut *Peccato mihi* positum pro *Peccanti mihi*. Sed in vtroque alucinatur. Adrianus Behotius Apophoret. lib. 1. cap. 8. rectè interpretatur *Peccato, si peccatum sit*. Ratio vero syntaxeos Grosippo docente hæc est. In *Peccare*, nisi externus addatur accusatiuus, internus aut formalis subauditur, nempe *Peccatum*, quomodo Græci ἁμαρτεῖν ἁμαρτίαν aut ἁμάρτημα cuius accusatiui vim habet verbum infinitum, vt si dicam *Peccauit peccare*, sicut Nominatiui in isto, *Peccare peccatum est*. In Ablatiuo porro, qui vulgo *Absolutus* aut *Consequentia* perhibetur, præpositionem *A*, subaudimus, quæ idem quod *Post* significat, vt *Vrbe condita* pro ab Vrbe condita, id est, post conditam vrbem. Liuius lib. 23, 36. *Ab re bene gesta lætum exercitum*. Et lib. 4, 41. *Mæstæ ciuitati ab re male gesta Postumius reus obiectus*. Ouid. 2. Trist. *Hic tibi sic redeat superato victor ab hoste*.

Lucan. 1. ——*moremque sinistrum*

Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.

Iam ergo *Peccato* est *A Peccato peccare*, hoc est, postquam peccare peccatum sit. Similiter in hoc Cicer. 2. Agrar. *Cui errato nulla venia, recte facto exigua laus proponitur*. Sententia est, Postquam errare erratum, rectè facere factum sit. Et in isto Horatij,

Excepto quod non simul esses, cætera lætus:

Sensus est, Postquam Excipere, quod non esses simul, exceptum sit. Neque tamen repugnat Grosippus, quin præpositio

positio *In*, subaudiatur, dum tamen *Post* significet vt in hoc Catulli:

Cænabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dij fauent, diebus.

quod est *post paucos dies*. Plaut. Pæn.

Aruspex dixit paucis diebus nos fore liberas. Propert.
Venturum paucis me tibi Luciferis. Idem:
At tu etiam iuuenem spernis me perfida, cum sis
Ipsa anus haud longa curua futura die.


idest, propediem, post diem non longam. Præpositionem vero *In* desiderari in istis, multa auctorum loca nos docēt. Terent. Andr. *In diebus paucis, quibus hæc acta sunt, Chrysis moritur.*

pro post dies Paucos. Catull.

Si reditum tetulisset is haud in tempore longo.

pro quo Virgil. *Respexit tamen & longo post tempore venit.*


Cæterum quoniam in *Participia* incidi, quæ Grosippus distinctam ab alijs partem orationis esse negat, ac *Nomina Verbalia* esse contendit, sed quæ aliquod Verbi accidēs participent, operæ videor pretium facturus, si quæ ille de Nominibus verbalibus Grammaticæ pag. 145. disseruit, Synopsi quadam comprehensa oculis subijciam.



SYNOPSIS NOMINVM VERBALIVM.

Nomina Verbalia sunt vel

- *Verbi expertia, quæ nullum verbi vnde deriuata sunt, accidẽs participant, vt Doctor Doctrina, Amor, Momentum, Nomen, Spectaculum.*
- *Partici-pia, quæ aliquid Verbi participant, vt*
  - *Rectionẽ casus & significationem motus eaq; vel*
    - *Substãtiua, siue*
      - *Natura, vt Spectatio, Spectat⁹, us*
      - *Vsu, vt Amãs vxoris*
    - *Adiectiua. vt Lætabundus, Vitabundus, Moribundus.*
  - *Tẽpus & significationem siue*
    - *Status, vt*
      - *Ens*
      - *Futur⁹*
    - *Motus. Vide B.*
- *Participialia, q̃ cũ Participijs cõmunẽ habent vel*
  - *Originẽ, vt*
    - *Cõparata, Amãtior, Doctior, Comitatior.*
    - *Cõposita, Indoct⁹, Indecẽs, Indiligẽs, Immeritus, Vesaniens.*
  - *Terminationem, Laureatus, Ocreatus, Cristatus.*



Ornatissimo & Eruditissimo Viro

OCTAVIO FERRARIO

MARIANGELVS A FANO BENEDICTI S.P.D.



Vm multa doctores veteris Grammaticę, quam *Cloacinam*, vt scis, Grosippus noster indigitat, maximis impedita difficultatibus tradiderint, tum haud scio quicquam ne spinosius, quam de Relatiuorum Nominum, præcipuèque Reciprocorum constructione præceperint, vt verè Crucem ingenijs ea in re fixisse videãtur. Minime proinde vulgare hoc etiam Grosippi est beneficium, quo Latinarum literarum studiosos sibi deuinxit, cum istam ingeniorum carnificinam sustulit, totamq; hanc syntaxim perpetuè expediuit. Erunt, satis scio, qui subducto supercilio hanc eius operam aspernentur, seque ea causa manum versuros negent, quippe quibus ἀμουσία sua cordi sit, omnis vero humanior literatura perinde ac suibus amaracinum aduersetur. His ego barbarię cęnũ, cui adsueuerunt, libens relinquo, vt porcorum vice

Insatiabiliter toti voluantur ibidem.

Tibi quidem hanc Grosippi pręceptionem cognitu iucundissimam fore confido, vt qui pręstans, quo polles, ingeniũ non Philosophicis modo ac Theologicis studijs tibi imbuendum, sed literarum quoque Gręcarum ac Latinarum apparatu ornandum esse recte statueris. Vale, nosq; ama.

DE

DE RELATIVORVM, præcipueque Reciprocorum Syntaxi.

PASCASII GROSIPPI

Admonitio.

DE Relatiuo generali vix attinebat quicquam præcipere, cum sit species Adiectiui, adeoque necesse habeat cum antecedente nomine expresso aut suppresso in numero & genere, vel certè in generis terminatione conuenire, etsi Casu discrepet, cum sequente verò nomine expresso aut suppresso perinde vt quoduis adiectiuum cum substantiuo consentit, vt: *Odi hominem, qui simulatè loquitur*. Hic relatiuum *Qui*, cum antecedente nomine substantiuo expresso, quod est *Hominem*, consentit in numero & genere, sed casu discrepat: cum sequenti verò nomine substantiuo suppresso, quod est *Homo*, consentit in numero, genere & casu. Similiter in hoc: *Fuit quidam mercator. is nauem fregit, qua vehebatur*. Relatiuum *Is*, cum antecedente & sequẽte nomine *Mercator*, consentit in genere, numero & casu. Sed relatiuum *Qua*, cum antecedente nomine *Nauem*, conuenit in genere, & numero, etsi Casu discrepet, cum sequente autem suppresso, quod est *Naue*, conuenit in genere, numero & casu. Cæterum *Qua vehebatur*, non est regularis constructio, cum ablatiui casus nomen cum verbo non concordet per vllam regulam, nec etiam ab vllo verbo regatur. Est ergo Figura, & quidem illa figuræ species, in qua aliquid deest, *Ellipsis* puta. Iam ex duodecim Maximis, siue Regulis capitalibus Syntaxeos constat *omnem Ablatiuum à præpositione regi*. Deest ergo *A*, vel *In* præpositio,

positio, à qua *Naue* ablatiuus suppressus regitur, quæ iam altera Ellipsis est. Ex ijsdem enim Maximis discitur, *omne Adiectiuum habere suum Substantiuum siue expressum, siue suppressum, cum quo concordet*. Sic *Non laudo, qui heros fallunt*. Relatiuum *Qui* cum antecedente nomine substantiuo suppresso *Homines* conuenit in genere & numero tantum, cum eodem sequente iterum suppresso in genere, numero & casu. Esse verò accusatiuum *Homines* per Ellipsin suppressum, ex Maxima illa intelligitur: *Omne verbum actiuum semper accusatiuum expressum aut suppressum regit*.

De Reciproco duplex est consideratio. nam vel de Cõstructione eius præcipitur, vel de significatione. Quod ad Constructionem attinet, quæ huius loci est propria, alia est ratio Reciproci substantiui *Sui, sibi* & *se*: alia reciproci adiectiui *Suus sua suum*. Substantiuum reciprocum cum antecedente nomine, quod refert, & in quod reflectitur, in numero conuenit, etsi *sui, sibi* & *se* tam pluralis, quam singularis sunt numeri, vt: *Nemo sui obliuiscitur*. *Omnes sibi sapiunt*. *Nemo se odit*. *Omnes sibi bene esse malunt, quam alteri*. Adiectiuum reciprocum cum substantiuo nomine secum coniuncto perinde vt alia adiectiua in genere, numero & casu conuenit, vt: *Vlciscentur eum mores sui. Iubet saluere suus vir vxorem suam. Expectat te domi sua. Ille rerum suarum satagit. Non nouit eum mater sua.*

De Significatione Reciproci alterius loci est præceptio. Hoc loco duo monuisse satis fuerit. Alterum; *Suus* interdum significare idem quod Proprius, vt: *Iustitia suum cuique tribuit. Suo sibi gladio hunc iugulo. Ille suo sibi seruit patri*, idest, patri proprio, qui ei siue sibi est suus. *Suam sibi rem saluam sistam, cum venerit*. pro Rem, quæ ei sua est seu propria. quo exemplo & Meus mihi & Tuus tibi rectè dixeris. Plaut. Truc. *Vbi male accipiar mea mihi pecunia*. Et Cas. *Opinione melius res tibi habet tua*. Cic. 10. ad Attic. epist. 8. *Feram sicut multi clarissimi homines tulerunt: nisi me forte Sardanapali vice in suo lectulo mori malle censueris, quam exsilio Themistocleo*. Vbi *Suo*, valet *Proprio*.

fore vt opus exstaret huius peregrinationis: nihil iam magnopere confirmo.

Idem 3. Attic. 13. *Quod ad te scripseram me in Epiro futurum: posteaquam extenuari spem nostram vidi, mutaui consilium.*

Propert. lib. 3. eleg. 1. *Quod non Tanariis domus est mihi fulta columnis, At Musæ comites, at carmina cara legenti.* Pro quo Lucretius & Virgilius dixerunt: *Si non, at.* pro *Etsi non, tamen.*

Ouid. *Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit, Multa dedit multis vulnera, multa dabit.*

Idem epist. Helenæ: *Quod bene te iactes, & fortia facta loquaris: A verbis facies dissidet illa tuis.*

Auctor liberi carminis: *Quod sim ligneus, vt vides, Priapus, Prendam te tamen & tenebo prensam.*

Ex istis discimus, *Vt* & *Quod* sæpissime eamdem significandi vim habere, quemadmodum in istis quoque vsuuenit, quæ multo videbuntur insolentiora.

Plaut. Milit. act. 2. sc. 2. *Ferit femur ita vehementer, quod tactui ægre suppetit.*

Idem Merc. act. 3. sc. 1. *Magis est quod rideas, quam vt lamente re.*

Idem Curc. act. 2. sc. 3. *Facite ventum vt gaudeam.*

Teret. Phorm. act. 5. sc. 2. *Vin facere quod ego gaudeam, quodq; viro tuo oculi doleant.*

Cic. 7. famil. epist. 10. *Est quod gaudeas te in ista loca venisse.*

Valer. Maxim. lib. 4. cap. 7. nu. 3. *Adeo blando vteris imperio, quod is supplicium honori prætulerit.*

Cælius ad Cicer. 8. famil. epist. 3. *Hoc vsq; eo suaue est, quod tota vita risus nobis deesse non poterit.*

Nunc vt ratio Syntaxeos, quam inuestigamus, expediri possit, in primis animaduertendum venit, *Vt*, particulam similitudinis significandæ vim habere, adeoque ad antecedens *Ita*, vel *Sic*, vel *Ad eum modum*, *Ad id exemplum*, vel ad *Eo modo*, *Eo pacto*, tamquam ad correlatum suum (vt Logici loquuntur) referri, siue aliquod correlatũ

sit

ſit expreſſum,ſiue per ellipſin ſuppreſſum. Expreſſi exemplum eſt in hoc Catonis de re ruſt. cap. 78. *Ad eumdem modum facito vt placentam ſine melle*. pro quo figuratè dixiſſet: *Facito vt placentam*. Et in hoc Plaut. Mercat. act. 2. ſc. 1. *Non ita amo, vt ſani ſolent homines, ſed eodem pacto vt inſani ſolent. Amaui hercle equidem ego olim in adoleſcentia. Verum ad hoc exemplum numquam, vt nunc inſanio*. Vbi *Eodem pacto*, & *Ad hoc exemplum* per figuram omitti poterant. Et in hoc eiuſdem Bacch. act. 5. ſc. 2. *Scin quo pacto me ad te introducas? B. mecum vt ſis*. pro Eo pacto vt mecum ſis, ſiue Ita vt mecum ſis. Et Capti. act. 4. ſc. 1. *Eodem pacto, vt Comici ſerui ſolent, conijciam in collum pallium*. Et Rudent. act. 4. ſc. 7. *Nullus erat illo pacto vt illi iuſſerant*. Suppreſſi correlati exempla paſſim ſunt obuia, quorum non pauca ſupra recitauimus, velut Plauti: *Factum eſt vt iſtud perierit. Narrauit mihi vt illic fuerit prælium, Audiui vt regem occideris*. Eiuſdem eſt hoc Perſa act. 1. ſc. 1. *Facere amicum tibi me potes ſempiternum S. quemadmodum? T. vt mihi des nummos ſexcentos mutuos*. Subaudimus, *Ad hunc modum*. quod eſt *Ita*. Et Trinum. act. 3. ſc. 1. *Quomodo tu iſtuc dixiſti Lesbonicum ſuam ſororem deſpondiſſe? hoc modo?* Vnde intelligimus, ſi dictum fuiſſet: *Dixiſti vt Lesbonicus ſororem deſponderit*: ſubaudiendum *Hoc modo* quaſi eſſet: *Ita dixiſti, vt deſponderit*.

His ita ſuppoſitis ac præmunitis in mentẽ nobis veniat, pro *Quis mod⁹* Latine dici ſolere, *Quid modi*, vt Aſin. act. 5. ſc. 2. *Quid modi pater amplexãdi facies?* Et ibid. act. 1. ſc. 3. *Qui modus dãdi? Quid modi eſt amãdi?* pro quo Merc. act. 3. ſc. 4. dixit. *Quis modus tibi exilio tandem eueniet? qui finis fugæ?* Pariter proinde pro *Is modus*, recte dicemus *Id modi*. Sicut *Id loci* pro Is locus, *Id cauſa* pro ea cauſa. Ergo ſi *Id modi* ſiue expreſſum, ſiue ſuppreſſum anteceſſit, rectè *Ad quod* & per ellipſin *Quod* ſubijcitur, cuius exemplum eſt in hoc Plauti Aulul. act. 1. ſc. 2. *Ne cauſa quid ſit, quod te quiſquã quæritet*. pro Ob, ſiue ad quod cauſę: pro quo dici poterat: *Ne cauſa quid ſit, vt te quiſquã quæriret*. quomodo Cic. pro domo. *Ne quid eſſet, vt lugerẽt boni ſẽper*. pro Ne quid eſſet cauſæ. Et Ouid. 3. Triſt. 4. *Quid fuit, vt tutas agi-*

taret Dædalus alas, Icarus immēsas nomine signet aquas. Pro quid causę seu quæ causa fuit cur, vel ob quam. Nam *Vt*, est *Quo modo*, Modus autem per Tropum significat alias Finalem causam (ex quo *Finis* & *Modus* sæpe idem significant, vnde Cic. *Modum faciam*, pro finiam epistolam & *Modum ac finem orationi facere)* alias efficientem propter quam quid fit. Plaut. Pseud. act. 4. sc. 3. *In metu sum triplici modo*. id est, tribus de causis. ex quo intelligimus, quomodo *Vt*, post verba timoris causæ significationē habeat. Terent. Phorm. act. 3. sc. 1. *Enimuero Antipho multis modis cum istoc animo vituperandus es*, pro Multis de causis. Et Hecyr. act. 2 sc. 3. *Filium multis modis iam exspecto vt redeat domum.* Vbi si cum Plauto dixisset, *Triplici modo filiū exspecto vt redeat*, nemo dubitaret quin *Vt*, esset *Quomodo* seu *Qui*. Ita planum fit, quæ in istis sit constructio. Terēt. Andr. act. 2. sc. 5. *Sed est quod succenset tibi*. pro Est aliquid causę, siue Est aliquod negotium propter quod succenset. Idem Hecyr. act. 2. sc. 2. *Est quod me transire ad forum iā oportet*. Plaut. Rud. act. 2. sc. 6. *Bonam est quod habeas gratiam merito mihi*: Cić. 4. Attic. epist. 8. *Ignoro quid sit, quod se à me remouit*. Plaut. Stich. act. 1. sc. 2. *Hoc est quod ad vos venio, quodq; esse ambas conuentas volo*. Nimirum figuratæ sunt id genus locutiones, propter duplicem ellipsin. Prius enim subauditur *Aliquid* vel *Illud Causæ* aut *negotium*. Deinde præpositio *Ad* supprimitur, à qua *Quod* accusatiuus regitur. *Ad*, porrò alias Finali (vt Scholarum lingua loqui pergam) alias Impulsiuæ causæ significandæ seruit. Finis significatur in istis. Cic. *Gladiatores emit ad cædem*. *Ad memoriam sēpiternam. Ad quid laboramus res Romanas*: & per ellipsin *Quid frustra laboramus*. Liuius: *Ad fidē tantarum rerum effundi annulos iussit*. Impulsiua in istis: Cic. *Quæ mihi à te ad timorem amantissime proponuntur*. Liuius: *Cum abactæ boues ad desiderium relictarum mugissent*. Prop. *Pāditur ad nullas ianua nigra preces*. In hoc ergo Lentuli ad Ciceronem 12. famil. epist. 14. *Quod huc properent venire, causam nō habent*: pro Ad quod negotium, finis significatur, qui non minus per *Vt*, vel *Cur*, vel *Quare*, vel

Qua-

quamobrem hoc à te abierit. Cic.13.fam. epist.7. *Non erat causa, cur à te aliquid contenderem.* Et Heren. 2. *Causam ostendemus Vlyssi fuisse, quare interfecerit Aiacem,* Terent. Eunuc. act.3. sc.3. *Vbi veni, causam vt ibi manerem reperit.* In isto vero Ciceronis 7. Attic. epist. 9. *Si ob eam causam, quod ratio eius non habeatur, exercitum adducat.* pro Ad quod causæ, siue ad quod nomen: causa propter quam, siue impellens significatur: quo ipso sensu dici quoq; poterat: *Si exercitum adducat, ad quod ratio eius non habeatur.* Sic quippe non semel Terentius, Cicero & Liuius loquuntur, idq; Paulus Manutius sibi notauit. Est autem imminuta ac per ellipsin concisa oratio, quæ sic foret integra: Si ad id nomen exercitum adducat, ad quod nomen ratio eius non habeatur. Vbi *Nomen* pro Causa ponitur, sicut in illo Virgilij: *Quo nomine læsa, Quid ve dolens regina Deum.* de quo in Paradoxis literarijs epist. 7. plura disputauimus. Sæpius autem *Quod* ponitur pro Ad quod negotium rei, ad quod rei, vel ad quod modi. Plaut. Amph. act.1. sc.3. *Quid istud est negotij, quod tu tam subito domo abeas* pro Ad quod siue ob quod abeas. Terent. Andr. act.4. sc.3. *Si quid est quod mea opera opus sit vobis.* pro si quid est negotium ad quod opus sit. Plaut. Asin. act.1. sc. 1. *Scio quod filius meus amet meretricem.* pro scio ad quod modi amet, scio modum, ad quod modi amet, siue quemadmodum amet: sicut Bacchid. act.3. sc.3. *Ego omnem rem scio quemadmodum est.* pro Ad eum modum rem scio, ad quem modum est cuius generis plena oratio est ist: Vitruuij lib.6. cap.1. *Reliquæ regiones ad eum modum temperatæ, quemadmodũ cœlum est ad inclinationẽ mũdi collocatũ.* Similiter in hoc Varronis lib.1. rust.2. *Verum dicit vt ille hoc scripserit.* pro *Vt* dici poterat *Quemadmodum*, vel *Quomodo* aut *Quo pacto.* nam & ita Plautus Capt. act. 2. sc. 3. *Dicito patri quo pacto mihi conuenerit de filio,* pro Dicito modum seu pactum, quo pacto conuenerit. Si dixisset: *Dicito quod mihi conuenerit:* esset, dicito pactum, ad quod pactum conuenerit. Ita Plaut. Merc. act.4. sc.4. *Miraris*

quod

Quod cocus hæc attulit, pro Miraris modum, ad quod modi cocus hæc attulit. nam eodem sensu dici poterat, *Miraris vt hæc cocus attulerit*. quomodo eadem fabula act. 2. sc. 1. *Mihi illud videri mirum, vt capra simiæ dotem ambaderit*, pro quomodo ambadederit. velut Laberius Casulerio: *Miror quomodo mammæ mihi descenderunt*. pro Miror modum, quo modo descenderunt. Itaque *Miror quod descenderunt*, est Miror modum ad quod modi descenderũt, vt Quod significet idem prorsus quod Quemadmodũ, cuius illustre exemplum est hoc Ciceronis 13. famil. epist. 40. *Si vlla vmquam apud te mea commendatio valuit, quod scio multas valuisse plurimum, hæc vt valeat rogo*. Hic enim Quod, est Ad quod modi, sicut etiam in isto Plauti Aulul. act. 2. sc. 5.

Hic apud nos magna turba ac magna familia est,
Supellex, aurum, vestes, vasa argentea.
Vbi si perierit quippiam (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obuiam est)
Dicant, Coci abstulerunt, comprehendite.

His duobus exemplis iam triginta duo sunt anni cum vocis Quod vsum publicè ostendi, sed Rationẽ neque ipse tum vidi, neque quisquam eorum, qui quod à me didicerant, tamquam suo marte inuentum in libros suos retulerunt. Dehinc nihil erit caliginis nõ modo in isto, quod hoc loco monui, sed neque in multis alijs loquendi generibus, vbi Quod per ellipsim præpositionis significat *In quo* vel *de quo negotio*, vel *Quantum attinet ad negotium præsens*, siue *de quo sermo est*, velut ex subiectis exemplis intelligi poterit.

Terent. Eun. act. 2. sc. 1. *Munus nostrum ornato verbis, quod poteris, & istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito*. pro Ad quod poteris, quoad poteris, In quantum poteris.

Idem Heaut. act. 3. sc. 1. *Quod potero, adiutabo senem.*

Idem Andr. act. 1. sc. 5. *Huius formam atque ætatem vides, nec clam te est, quam illi nunc vtraque inutilis & ad pudicitiam & ad rem tutandam siet. Quod ego te*

per-

per hanc dextram oro, ne abs te hanc segreges, neu deseras.

Idem Hecyr. act. 3. sc. 2. *Male metuo, ne Philumena magis morbus aggrauescat. quod te Aesculapi, ne quid sit huius, oro.* Vbi perperam Muretus. *Quod* αἰτιολογικῶς pro *Propter quod* dictum interpretatur, cum sit *Ad quod negotium quantum attinet.*

Idem Adel. act. 3. sc. 2. *Nunc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant, auxilij nihil afferant.* pro Nunc illud est tempus, ad quod nihil afferant auxilij. nam *Ad* in tempore significando vsui esse solet, vt Phorm. act. 3. sc. 2. *Tibi est olim dies, ad quam dares praestituta.* Cic. *Venit ad id tempus, quod scribis. Ad Ianuarium te exspectamus.*

Idem Heaut. act. 1. sc. 1. *Haec inter nos nupera notitia admodum est, inde adeo quod agrum hic in proximo mercatus es.* ꝓ Inde ab eo tẽpore, ad q; tẽpus mercatus es.

Plaut. Amphit. act. 1. sc. 4. *Iamdiu est, quod ventri victũ non datis. Iampridem videtur factũ, quod homines quatuor in soporem collocastis.* pro Ad quod tempus.

Cic. 7. fam. epist. 28. *Memini quod mihi desipere videbare.* pro Memini tempus illud ad quod videbare desipere. Vel, Ad eum modũ memini, ad quod modi.

Idem 14. fam. epist. 4. *Cum omnia mihi tempora sunt misera, tum vero cum scribo ad vos, cõficior lacrimis sic, vt ferre nõ possim. Quod vtinã vita minus cupidus fuissẽ, certe nihil in vita mali vidissem⁹. Quod si nos ad aliquam spẽ fortuna reseruauit, minus est erratũ à nobis.* Hic bis *Quod* valet *Ad quod negotiũ*, idest, ad quod negotiũ, siue ad quã rẽ quod attinet. Fallitur Manutius, qui *Quod* ꝓ *Sed* cũ hic, tũ alibi positũ ait. Alicubi .n. ridicula fieret oratio, si quis *Sed* pro *Quod* reponeret. Ita Ter. Phorm. act. 1. sc. 3. *Rogas, qui tã audacis facinoris mihi sis cõscius? Quod vtinã ne Phormioni id suadere in mẽtẽ ĩcidisset.* Pari modo *Quod ni*, vel *Quod nisi*, *Quod si*, *Quod etsi*, *Quod ne*, *Quod cũ*, *Quod vbi*, *Quod nunc*, *Quod quoniam*, *Quod quia*, *Quod id*.

apud optimos auctores legimus, in quibus semper *Quod* refertur ad præsens negotium, in eoque præpositio *Ad*, subauditur, adeoque nihil horum in principio orationis, vbi nihil sit quod præcesserit, rectè vsurpatur.

Cic. *Quod ni ita putarem, ipse perscriberem*. Et Terent. Phorm. act. 1. sc. 3. *Adeon rem rediisse, vt patrē extimescam, vbi aduenti eius in mentem venit? Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarem vt par fuit.* Ita etiam Lucret. & Liuius.

Idem de Finib. 4. *Quod & si ingeniis magnis præditi quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur: ars tamen est dux certior, quam natura.*

Idem in Lucullo: *Quid ergo est, quod percipi possit, si ne sensus quidem vera nunciant? quos tu Luculle communi loco defendis. quod ne id facere posses, iccirco heri non necessario loco contra sensus multa dixeram:* Hoc ita imitatur Apuleius: *Quod ne vobis videar poetico ritu incredibilia fingere, dabo exemplum.*

Idem lib. 1. in Verrem num. 26. *Simul seruis suis Rubrius, vt ianuam clauderent, imperet Quod vbi Philodamus intellexit id agi, vt filiæ suæ vis afferretur, seruos suos ad se vocat.*

Cæsar belli ciuil. 2. de Massiliæ obsidione: *Portæ, quibus locis videatur, eruptionis causa in muro relinquuntur. Quod vbi hostes viderunt, ea quæ longo spatio refici non posse sperassent, paucorum dierum labore refecta esse, ad easdem deditionis conditiones recurrunt.*

Idem belli ciuil. 3. *Munitionem cohortes ignorantia loci sunt secutæ, cum portam quærerent castrorum, quod eā munitionem esse arbitrarentur. Quod cum esset animaduersum coniunctam esse flumini protinus his munitionibus defendente nullo transcenderunt.*

Liuius lib. 41. num. 10. *Consul vtrumque decedere prouincia iussit. Quod cum milites se consuli dicto audientes fore dicerent, cum is more maiorum votis nun-*

cupatis

sit.

Cicer. 9. famil. epist. 15. *Nam quod me amas (quod id & iampridem & constanter facis) est id quidem magnum, sed tibi commune cum multis* pro Ad quod modi, seu Quemadmodum id facis.


Idem extremo lib. 1. de Finib. *Voluptatibus amicitiæ nō solum præsentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. Quod quia nullo modo sine amicitia firmam iucunditatem vitæ tenere possumus, iccirco amicitia cum voluptate connectitur.*

Cœlius 8. famil. epist. 14. *Neque mearum rerum quid consilij capiam reperio. Quod non dubito quin te quoque hac deliberatio sit perturbatura.*

Lucret. lib. 1. vers. 221.

Quod nunc æterno quia constat semine quæque,
Nullius exitium patitur natura videri,

Et vers. 591. —— *paruissima quæ sunt,*
Ex infinitis constabunt partibus æque.
Quod quoniam ratio reclamat vera negatque.
Credere posse animum, victus fateare necesse est,
Esse ea, quæ nullis iam prædita partibus extent.



esse monuit, vt plena regularique syntaxi consentanea sit oratio, *Viam ire* vel *iri ad visum*, hoc est, ad videndum. Huic porro consequens est, vt in Catonis loco, quem A-gellius recitat, legendum sit: *Contumelia quam mihi per huiusmodi petulantiam factum itur*. non vt Agellius alucinatur: *Quæ mihi factum itur*. Rationes Paradoxo eius secundo pag. 13. & Grammaticæ pag. 132. visas tibi esse non dubito. quibus addas licet, cum Plautus in Amphitruonis Prologo dixerit: *Iustam remoratum à vobis veni* ei, qui roget, *Ad quid venitur?* recte responderi *Rem iustam oratum venitur*. nam Accusatiuus ab *Oratum* regitur, & Verbi Finiti *Venitur* suppositum si baudimus, quod est *Aduentus* seu *Venire*. Nemini proinde dubium esse potest, quin rectè quoque dicam, *Rem iustam oratum itur*, & *Rem iustam oratum iri videtur*. pro ad orandum rem iustam iri videtur, nempe *Iter* seu *Viam*. Est autem Tropus duplex in hoc genere *Via itur oratum* siue *ad orandum*, pro *Orabitur*, seu per periphrasin *Erit vt oretur*. nam *Viam ire, tendere, intendere* aut *insistere* pro *Velle* aut *Conari* per Metaphoram dicitur. Sed *Velle facere* pro *facere* est Metonymia causæ pro effecto, cum Voluntas & Facultas actionum causæ sint, qua de re Grosippus in Propædia Rhetorica agit copiosius. Iam satis tibi apparere opinor, recte dictum esse, *Rem iustam oratum veniri videtur*, non *Res iusta*, quoniam, vt dixi, *Rem iustam* regitur ab *Oratum*. Similiter itaque & *Rem iustam oratum iri videtur*, dicendum est, non *Res iusta*. Sensus quippe est, *Iri videtur à legatis vt orent rem iustam*, prorsus vt si dictum sit; *Ire videntur legati oratum rem iustam*. Atque hinc planum fit apud Fabium legi oportere. *Reum paricidij damnatum iri videbatur*, nempe à Iudicibus. hi scilicet ire videbantur, vt damnarent paricidij reum. Perinde ergo est ac si dicas: *Ad damnandum paricidij reum iri videbatur*. Neque vero quicquã negotij Grosippo facessit, quod apud Ciceronem de Inuentione 2. quo loco de Controuersia scripti & sen-

tentię agit, hoc modo legitur: *Si ipsa separatim ex se verba considerentur, omnia aut pleraque ambigua visum iri.* Deest enim verbum *Esse*, vt integra oratio sit: *Visum iri omnia verba esse ambigua.* quo exemplo & Plinius lib. 7. cap. 1. *In quibus prodigiosa aliqua multis visum iri haud dubito.* pro Viam iri ad visum (id est, vt videatur, hoc est fore vt videatur multis) aliqua esse prodigiosa.

Obscurissima quoque, vel doctis est dicti ratio in hoc Terentij Hecyra act. 5. sc. 1.

Iam ea ætate sum, vt non sit peccato mihi ignosci æquum.

Donatus putat aut deesse *In*, vt sit in peccato, aut *Peccato mihi* positum pro *Peccanti mihi*. Sed in vtroque alucinatur. Adrianus Behotius Apophoret. lib. 1. cap. 8. rectè interpretatur *Peccato, si peccatum sit*. Ratio vero syntaxeos Grosippo docente hæc est. In *Peccare*, nisi externus addatur accusatiuus, internus aut formalis subauditur, nempe *Peccatum*, quomodo Græci ἁμαρτεῖν ἁμαρτίαν aut ἁμάρτημα cuius accusatiui vim habet verbum infinitum, vt si dicam *Peccauit peccare*, sicut Nominatiui in isto, *Peccare peccatum est*. In Ablatiuo porro, qui vulgo *Absolutus* aut *Consequentia* perhibetur, præpositionem *A*, subaudimus, quæ idem quod *Post* significat, vt *Vrbe condita* pro ab Vrbe condita, id est, post conditam vrbem. Liuius lib. 23, 36. *Ab re bene gesta lætum exercitum*. Et lib. 4, 41. *Mæstæ ciuitati ab re male gesta Postumius reus obiectus*. Ouid. 2. Trist. *Hic tibi sic redeat superato victor ab hoste*.

Lucan. 1. ——*moremque sinistrum*
Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.

Iam ergo *Peccato* est *A Peccato peccare*, hoc est, postquam peccare peccatum sit. Similiter in hoc Cicer. 2. Agrar. *Cui errato nulla venia, recte facto exigua laus proponitur*. Sententia est, Postquam errare erratum, rectè facere factum sit. Et in isto Horatij,

Excepto quod non simul esses, cætera lætus:

Sensus est, Postquam Excipere, quod non esses simul, exceptum sit. Neque tamen repugnat Grosippus, quin præ-

positio

positio *In*, subaudiatur, dum tamen *Post* significet vt in hoc Catulli:

Cænabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dij fauent, diebus.

quod est *post paucos dies*. Plaut. Pæn.

Aruspex dixit paucis diebus nos fore liberas. Propert.
Venturum paucis me tibi Luciferis. Idem:
At tu etiam iuuenem spernis me perfida, cum sis
Ipsa anus haud longa curua futura die.


idest, propediem, post diem non longam. Præpositionem vero *In* desiderari in istis, multa auctorum loca nos docét. Terent. Andr. *In diebus paucis, quibus hæc acta sunt, Chrysis moritur.*

pro post dies Paucos. Catull.

Si reditum tetulisset is haud in tempore longo.

pro quo Virgil. *Respexit tamen & longo post tempore venit.*


Cæterum quoniam in *Participia* incidi, quæ Grosippus distinctam ab alijs partem orationis esse negat, ac *Nomina Verbalia* esse contendit, sed quæ aliquod Verbi accidés participent, operæ videor pretium facturus, si quæ ille de Nominibus verbalibus Grammaticæ pag. 145. disseruit, Synopsi quadam comprehensa oculis subijciam.



SYNOPSIS NOMINVM VERBALIVM.

Nomina Verbalia sunt vel

- *Verbi expertia, quæ nullum verbi vnde deriuata sunt, accidẽs participant, vt Doctor, Doctrina, Amor, Momentum, Nomen, Spectaculum.*
- *Participia, quæ aliquid Verbi participant, vt*
  - *Rectionẽ casus & significationem motus eaq; vel*
    - *Substãtiua, siue*
      - *Natura, vt Spectatio, Spectat⁹, us*
      - *Vsu, vt Amãs vxoris*
    - *Adiectiua. vt Lætabundus, Vitabundus, Moribundus.*
  - *Tẽpus & significationem siue*
    - *Status, vt*
      - *Ens*
      - *Futur⁹*
    - *Motus. Vide B.*
- *Participialia, q̃ cũ Participijs cõmunẽ habent vel*
  - *Originẽ, vt*
    - *Cõparata, Amãtior, Doctior, Comitatior.*
    - *Cõposita, Indoct⁹, Indecẽs, Indiligẽs, Immeritus, Vesaniens.*
  - *Terminationem, Laureatus, Ocreatus, Cristatus.*



Ornatissimo & Eruditissimo Viro

OCTAVIO FERRARIO

MARIANGELUS A FANO BENEDICTI S.P.D.



VM multa doctores veteris Grammaticę, quam *Cloacinam*, vt scis, Grosippus noster indigitat, maximis impedita difficultatibus tradiderint, tum haud scio quicquam ne spinosius, quam de Relatiuorum Nominum, præcipuèque Reciprocorum constructione præceperint, vt verè Crucem ingenijs ea in re fixisse videātur. Minime proinde vulgare hoc etiam Grosippi est beneficium, quo Latinarum literarum studiosos sibi deuinxit, cum istam ingeniorum carnificinam sustulit, totamq; hanc syntaxim perpetuè expediuit. Erunt, satis scio, qui subducto supercilio hanc eius operam aspernentur, seque ea causa manum versuros negent, quippe quibus ἀμουσία sua cordi sit, omnis vero humanior literatura perinde ac suibus amaracinum aduersetur. His ego barbarię cęnū, cui adsueuerunt, libens relinquo, vt porcorum vice

Insatiabiliter toti voluantur ibidem.

Tibi quidem hanc Grosippi pręceptionem cognitu iucundissimam fore confido, vt qui pręstans, quo polles, ingeniū non Philosophicis modo ac Theologicis studijs tibi imbuendum, sed literarum quoque Gręcarum ac Latinarum apparatu ornandum esse recte statueris. Vale, nosq; ama,

DE

DE RELATIVORVM, præcipueque Reciprocorum Syntaxi.

PASCASII GROSIPPI

Admonitio.

DE Relatiuo generali vix attinebat quicquam præcipere, cum ſit ſpecies Adiectiui, adeoque neceſſe habeat cum antecedente nomine expreſſo aut ſuppreſſo in numero & genere, vel certè in generis terminatione conuenire, etſi Caſu diſcrepet, cum ſequente verò nomine expreſſo aut ſuppreſſo perinde vt quoduis adiectiuum cum ſubſtantiuo conſentit, vt: *Odi hominem, qui ſimulatè loquitur*. Hic relatiuum *Qui*, cum antecedente nomine ſubſtantiuo expreſſo, quod eſt *Hominem*, conſentit in numero & genere, ſed caſu diſcrepat: cum ſequenti verò nomine ſubſtantiuo ſuppreſſo, quod eſt *Homo*, conſentit in numero, genere & caſu. Similiter in hoc: *Fuit quidam mercator. is nauem fregit, qua vehebatur*. Relatiuum *Is*, cum antecedente & ſequēte nomine *Mercator*, conſentit in genere, numero & caſu. Sed relatiuum *Qua*, cum antecedente nomine *Nauem*, conuenit in genere, & numero, etſi Caſu diſcrepet, cum ſequente autem ſuppreſſo, quod eſt *Naue*, conuenit in genere, numero & caſu. Cæterum *Qua vehebatur*, non eſt regularis conſtructio, cum ablatiui caſus nomen cum verbo non concordet per vllam regulam, nec etiam ab vllo verbo regatur. Eſt ergo Figura, & quidem illa figuræ ſpecies, in qua aliquid deeſt, *Ellipſis* puta. Iam ex duodecim Maximis, ſiue Regulis capitalibus Syntaxeos conſtat *omnem Ablatiuum à præpoſitione regi*. Deeſt ergo *A*, vel *In* præ-

poſitio,

positio, à qua *Naue* ablatiuus suppressus regitur, quæ iam altera Ellipsis est. Ex iisdem enim Maximis discitur, *omne Adiectiuum habere suum Substantiuum siue expressum, siue suppressum, cum quo concordet*. Sic *Non laudo, qui heros fallunt*. Relatiuum *Qui* cum antecedente nomine substantiuo suppresso *Homines* conuenit in genere & numero tantum, cum eodem sequente iterum suppresso in genere, numero & casu. Esse verò accusatiuum *Homines* per Ellipsin suppressum, ex Maxima illa intelligitur: *Omne verbum actiuum semper accusatiuum expressum aut suppressum regit.*

De Reciproco duplex est consideratio. nam vel de Cõstructione eius præcipitur, vel de significatione. Quod ad Constructionem attinet, quæ huius loci est propria, alia est ratio Reciproci substantiui *Sui, sibi* & *se*: alia reciproci adiectiui *Suus sua suum*. Substantiuum reciprocum cum antecedente nomine, quod refert, & in quod reflectitur, in numero conuenit, etsi *sui, sibi* & *se* tam pluralis, quam singularis sunt numeri, vt: *Nemo sui obliuiscitur. Omnes sibi sapiunt. Nemo se odit. Omnes sibi bene esse malunt, quam alteri*. Adiectiuum reciprocum cum substantiuo nomine secum coniuncto perinde vt alia adiectiua in genere, numero & casu conuenit, vt: *Vlciscentur eum mores sui. Iubet saluere suus vir vxorem suam. Expectat te domi sua. Ille rerum suarum satagit. Non nouit eum mater sua.*

De Significatione Reciproci alterius loci est præceptio. Hoc loco duo monuisse satis fuerit. Alterum; *Suus* interdum significare idem quod Proprius, vt: *Iustitia suum cuique tribuit. Suo sibi gladio hunc iugulo. Ille suo sibi seruit patri*, idest, patri proprio, qui ei siue sibi est suus. *Suam sibi rem saluam sistam, cum venerit*. pro Rem, quæ ei sua est seu propria. quo exemplo & Meus mihi & Tuus tibi rectè dixeris. Plaut. Truc. *Vbi male accipiar mea mihi pecunia*. Et Cas. *Opinione melius res tibi habet tua*. Cic. 10. ad Attic. epist. 8. *Feram sicut multi clarissimi homines tulerunt: nisi me forte Sardanapali vice in suo lectulo mori malle censueris, quam exsilio Themistocleo*. Vbi *Suo*, valet *Proprio*.


prio, cui opponitur *Alienum*. Terẽt. Eun. *Viden os suum, & oculis quid faciat alienus?* Alterum; Relationem antecedentis nominis tertiæ personæ, quod sit primum & præcipuum suppositum, indifferenter fieri per relatiuum commune & reciprocum, nisi sermo inde fiat ambiguus. nam vitandæ ambiguitatis causa alias Reciproco, alias quocũcumque Relatiuo nomine antecedens refertur, cum constructionis, vtro quis vtatur, nihil intersit. Vt Cor. Nepos: *Antonius non solum Ciceroni, sed etiam omnibus suis amicis erat inimicissimus.* pro *Eius*, idest Ciceronis. Idem. *Amici absentes in eorum periculis curæ erant Attico*. pro *Suis*, nẽpe Amicorum. Idem. *Cicero prædixit, quæ viuo se acciderunt*. pro *Eo viuo*. Liuius: *In Pauli domo præter se nemo superest*. pro Præter ipsum. Plaut. Capt. *Numquam ei seruus fuit præter se*. Idem Milit. *Si quid malitiosè faciendum est mulieri, ea sibi immortalis memoria est meminisse*. pro Ea illi. Ibid. *Excruciabit me herus, quia hæc sibi non dixerim*. pro Ipsi. Idem Trin. *Malus bonum malum esse vult, vt sit sui similis*. pro Ipsius. Ibid. *Cognatis dicam, bona mea inter eos partiant*. pro Inter se. Cato de re rust. cap. 37. *Vitis si macra erit, sarmenta sua cõcidito minute*. pro Sarmẽta eius. Cicero: *Vlciscentur illum mores sui*. *Eum mores ipsius conuincunt*. Idem: *Quid arbitramini Rheginos mereri velle, vt ab eis marmorea Venus illa ne auferatur?* pro Ab se. Idem: *Camillus scripsit te cum eo locutũ*, pro secũ. Ascon. in Milon. *Pompeius fuerat familiarissimus Clodio & sectã suã sequi se palã profitebatur*. pro sectam eius. Ouid. *Ecce rogãt teneræ sibi dem præcepta puellæ*. pro Ipsis. Velleius: *Alexander à Lysippo impetrauit, vt cæsorum equitum faceret statuas, & ipsius quoque ijs interponeret*. id est, Alexãdri. nã si *suam* dixisset, fuisset ambiguum, de Alexandri, an de Lysippi statua loqueretur. Cæsar: *Heluetij persuadent Rauracis, vt vna cum ijs proficiscantur*. pro secum vna. id est, cũ Heluetijs. Idem: *Allobrogibus persuadent, vt per suos fines eos ire patiantur*. pro Vt se Heluetios per fines suos, id est ipsorum Allobrogum ire patiantur. Idem: *Pompeius rescripsit, non suo consilio aut voluntate Domitium se Corfiniũ cõtulisse.*

talisse. pro Non ipsius Pompeij consilio. Cæcina: *Cæsar irascitur ei, qui aliquid scripsit contra voluntatem suam.* pro Eius, nempè Cæsaris. Idē: *Ignouit omnibus, qui multa Deos venerati sunt contra eius salutem.* Cicer. *Dionysius amasiū suum interfici iussit, quia viam demonstrauisset interimendi sui.* pro Ipsius, nempè Dyonisij. Idem: *Pythius piscatores rogauit, vt ante hortulos suos piscarentur.* pro Ipsius.


Nobili & Studioso Adolescentulo

PETRO PAVLO CARAVAGIO

MARIANGELVS A FANO BENEDICTI S. P. D.



Væ in Aluari de syllabarum quantitate præceptiones Grosippi qua monitis, qua libris adiutus nuper annotaui, dono tibi nunc mitto, in monumentum amicitiæ nostrę meique erga te studij pignus. Non quidem auctor tibi esse velim, vt in scribendis versibus quicquam hoc tempore ab Aluari regulis, quas memoriæ iam mandasti, recedas. Vbi tamen cum ætate iudicium confirmaueris, plusne Grammaticorum placitis, quam magnorum poetarum exemplo tibi standum sit, nemine quamuis monente tua sponte constitues. Vale.



MA-

MARIANGELI A FANO BENEDICTI

Annotationes in Aluarum de Syllabarum dimensione.

(a) I,& V vocalibus præpositas non esse consonãtes, sed Diphthongi partem Grosippus à pag. 156. vsque ad 165. multis disputat, quem consulere Magister poterit.

(b) Primã in *Fieri* veteres producere solebãt. Plaut. Amphit. act. 1. sc. 2. *Pater curauit vno vt fœtu fieret.* Trin. *Si in obserendo possint interfieri.*

(c) I, in *Alterius* pducit elegãtissimus Grammaticus Terentianus, vbi de Iambico versu loquitur: *Nec alterius indigens opis veni.* Item de carmine Heroico: *Sub alterius consonat vocabulo.*

(d) Vnde fiat, vt Diphthongus sequẽte vocali corripiatur, vide in Grammat. Philosoph. pag. 163. Quod mox de Vocalis productione ob sequentem I, consonantem præcipitur, à Virgilio non est obseruatum Aeneid. 5. *Ore reiectantem, mistosque in sanguine dentes.*

(e) *Abscido*, ex *Abs*, & *Cado* vsitatissimũ latinis verbum fuisse docuit Gifanius in Lucretiano indice. quo loco *Vitalia rerum* quid sit, exsequitur, itemque in Latinæ linguæ obseruationibus. In libro Glossarum Vaticanæ Bibliothecæ sic se legisse Grosippus testatur: *Abscidens, abrumpens.* Virgil. *Hic plantas tenero abscidens de corpore matrum.* Ita Glossis auctoribus corrigere Virgilij locum possumus, quamuis omnes tàm typis, quàm manu descripti codices habeant *Abscindens.*

(f) *Recen-*

(*f*) *Recensitus* tamen pęnultima longa dixit Claudianus ferreæ ætatis scriptor.

(*g*) Doctissimus Gifanius in pręfatione ad Lucretij Lectorem secundam in *Nihilo* natura longā esse, adeoq; corripi non posse perperam censet, quod prior in *Hilum* sit longa. Catullus enim perspicuè eam corripit in versu isto Glyconio: *Cælites, nihilominus* -v]-vv-]v-

(*h*) Mediā in *Ambitus* participio natura non minus breuem esse, atque in *Exitus*, *Aditus*, *Initus*, *Obitus*, *Præteritus*, sed ex euentu, seu per accidens produci, quia scilicet vltima in *Ambe* vel *Ambi*, cum prima litera vocis *Itus* in diphthongum coalescat, ex Grammat. Philos. pag. 178. & Parad. Literar. pag. 62. disci potest, quod ipsum sibi quoq; visum esse suis ad Grosippum literis testatur cultissimus ætatis nostræ poeta & Iurisconsultus Hieronymus Aleander.

(*i*) De *Refert*, pro Interest dupliciter Aluarus fallitur. nā nec priorem semper habet longam, nec à *Res* originem ducit. Iuuenalis versus est:

Sportula quid referat, quantum rationibus addat.

idest quid intersit, quid tibi vtilitatis afferat, apportet vel importet. Vide Grosippi Grammat. pag. 70. Vbi docet, *Quid hoc mea refert*, concisè dici, pro Quid hoc refert siue affert ad mea negotia, siue ad meas res, aut rebus meis.

Plaut. Persa: *Quid id ad me, aut meam rem refert, Persæ quid rerum gerant?*

Ibid. *Prius percunctari volo, quæ ad rem referunt.*

(*k*) Frustra tot exceptionibus Aluarus cauet regulæ suæ de quantitate prępositionis *Pro*, cum dubium non sit, quod in Lucretio Gifanius notat, ancipiti eam apud Latinos interuallo fuisse. Hinc *Prosocer*, & *Pronurus*, o, longa, *Pronepos* breui Ouidius extulit.

(*l*) Ejusdē Gifanij in Lucretiano indice verba sunt: *Putāt Grammatici RE, semper breue esse; falsò, vt alibi docuimus: SVB, & AB, semper breuia, & hoc minus rectè. De PRO, simile est eorum iudicium, etiam, nisi me fallit meum, deprauatum*. Lucretij versus lib. 3. in libris veteribus:

Nec

Nec desiderium nostri nos adigit vllum.

Et lib. 1. *Recidere inferiora magis quam corpora nostra.*

Tantum religio potuit suadere malorum.

Iterum lib. 3. *Refugisse volunt longè, longèque remasse.*

Et lib. 2. *Reliquias motus vitales vincere sæpe.*

Id rursum cæli relatum templa receptent.

Et lib. 4. *Percipe nam certò penitus remota videntur.*

Propert. *Recidit inque suos mensa supina pedes.*

Ouid. 10. Metam. *Recidit in solidam longo post tempore terram.*

Horat. *Dij tibi dent classem capta reducere Troia.*

(m) E in *Tepefacio, Liquefacio* & similibus anceps est, quoniam quantitas eius proferenda voce macrosyllaba vix apparebat. Notat Aluarus ex Lucretio *Expergefacta, Patefecit, Patefiat, Rarefiat*, E longa. Addi indidem poterat *Putrefactus*. Lib. 2. *Et tamen hæc cum sint quasi putrefacta per imbres*. Nec dubito, quin idem in *Arefecit* facturus fuerit, nisi necessitate metrica adductus sic inuertisset lib. 6 *Principio terram sol excoquit, & facit are*. Sed in *Cinefactus* E, idem corripit lib. 3. *At nos horrifico cinefactum te prope busto.*

(n) O, in *Retrouersus* hodie corripi monet Aluarus. id quàm benè fiat, nescio: nam posterior in *Retrò* perpetuò à Lucretio, Virgilio, eiusdemque notæ alijs producitur. *Retrouersum* Gr[illegible]ippus in Lucretio reponẽdum censet lib. 4. vbi de speculis agitur:

Vsque adeo à speculo in speculum tralucet imago:
Et cum læua data est, fit rursum vt dextera fiat:
Inde retrouorsum redit & conuertit eodem.

Monet Gifanius in veteribus libris esse: *Retrorsum redit*. vnde ipsi visum fuit legere *Reddit*. Sed nihil attinet versum tam elumbem poetæ tribuere.

(o) Cur O, in *Bobus* producatur, ratio est, quoniam contracta vox est ex *Bouibus*, vnde primum factum est *Boubus*, inde *Bubus* & *Bobus*.

(p) *Natricis* genitiuus à *Natrix*, sine dubio longa est, cũ sit à nando natrix, sicut à Natando Natatrix. Aluarum indu-

induxit Nonius, cuius in laudādis auctorū verbis oſcitātiā ſuſpectā habere debuit. Lucillij verſus Iani Douzæ patris iudicio rectius ſic legitur: *Natricē impreſſit manibus craſſā & capitatam.* Sumitur autem Natrix, ſicut & ſerpens apud Græcos, pro eo, quod incolumi pudore non dixero.

(q) *Venimus*, præſentis temporis media breui extulit Terentius Phorm. act. 1. ſc. 2.

Eamus, duc nos ſodes; Imus, venimus:
Videmus. Virgo pulcra & quò mage diceres.

(r) Notat Gifani° ī ipſo Lucretiani indicis veſtibulo, A, *literā ſæpè à veterib° cōtra vulgatos Grāmaticorū canonas ꝓductā reperiri, ſed loca plerūq; eſſe mēdis īquinata turpiſſimè.* Lucret. 1. *Sanguinis, aut aliquid, noſtra quo corpora alūtur.* Et lib. 4. *Quæ quaſi membrana vel cortex nominitanda eſt.* Virgil. *Dona dehinc auro grauia, ſectoque elephanto.* Groſippus hoc amplius notauit pleraq; ancipitia eſſe, quę vulgo breuia, aut longa tantum credantur. Vt *Contra* poſteriore breui apud Manilium, & Valerium Flaccū, quorū verſus Aluarus recitat, & apud Phædrum lib. 3. fabul. 41. *Alij onerant ſaxis, quidā contra miſeriti:* vt dubitandi nulla ſit ratio, quin ipſum in *Vltra*, *Citra* & *Fruſtra* vſurpauerit, etſi exempla eius rei non extant, niſi apud Terent. Heaut. a. 4. ſc. 8. *Daturum vah fruſtra ſum igitur gauiſus miſer.* qui eſt ſenarius, in quo Faernus *A, in Fruſtra nō ſine exēplo corripi*, & R in *Igitur* elidi monet. In *Triginta* & ſimilibus vltimā alias produci, alias corripi idē exēplis docet Aluarus. *Antea* Catullus & Horatius vltima producta efferūt, q̄a vſu facta fuit particula, cū fuerit *Ante ea facta*, hoc eſt, ante id factū. Idē ergo in *Poſtea* fieri poterit, cū ſit *poſt ea facta*. Ouid. cōtra A in *Poſtea* corripit. nihil ergo impedit, quin idē fiat in *Antea*. In *Propterea*, producitur A, q̄a vſ° fecit particulā: ſed eādē corripi poſſe, vel hinc iudicare licet, quod *Ea propter* Lucr. l. 4. dixerit, etſi A lōga ob poſitionē: quæ ipſa eſt ratio in *Interea* & *Praterea*. Ridiculum eſt, quod Aluar. *Puta* ꝓ aduerbio habet ī hoc Perſ. *Hoc puta nō iuſtū eſt, illud malè, rectius iſtud.* Eſt enim futurū ter-

modo & in hoc Triphallicorum versu: *Vt Phœbo puta filioque Phœbi*. qui est Phaleucius. Martial. *In solio puta te mergere Flacce caput*. Notat autem Grosippus omnes Imperatiuos in A, E & I, ancipitem apud veteres habuisse vltimam, eiusque rei apud Comicos exempla passim inueniri. Catul. in Hendecas.

Quaeso, inquit, mi Catulle, paulum
Istos commoda. nam volo ad Serapin
Deferri. Mane inquij puellae.

In marmorea arca valde antiqua: *Tempera iam genitor lacrimas, tuque optima mater Desine.*

(*s*) Non solum *Caue*, sed & *Vale*, breui E, inueniri notat Aluarus, cuius rei ratio est, non quia verba ista priscis fuerint tertij ordinis, sed quia, vt dixi, A, E & I, in Imperatiuis erant ancipites. Valer. Flaccus lib. 5. *Incumbens Odrussa mero. vide lata comantem.* Martial. 3. ep. 4.

Si quando veniet? dicet: responde Poeta.
Exierat. veniet cum Citharaedus erit.

Idem lib. 11. epigr. vlt. *Lector salue. taces dissimulasque? vale*. Ita veteres membranæ. Vulgo *Solue*.

(*t*) *Vulgo putant* (ait idem Gifanius) *veteres in* Supernè *& similibus Aduerbijs E, semper produxisse. Hinc deprauata sunt loca plurima*. Virgil. 2. Geor. Flos apprime tenax. *Ita vetustissimus Codex*. *Vulgo* apprima. *Horat.* Album mutor in alitem supernè, *Sic in vetustissimo Codice legi*. *Vulgo* Superna. *Lucret.6*. Tecta superne timẽt, metuunt inferne cauernas. *Idem lib.4.* Longe tamen parte ab summa cum tota videtur. *Terent. And. act. 1. sc. 4.* Sanè pol illa temulenta est mulier & temeraria. *Vbi* Sane pol, *est Dactylus*.

(*u*) *Ergo* semper *Causa* significat, cum valeat idẽ, quod *Facto* vel *Opere*, sitque Ablatiuus ab ἔργον: etsi vsus fecit particulam illatiuam, cum ex eo quod dictum est, aliud infertur. *Deus est animus. Ergo praecipuè animo est colendus*. quasi dicat: Huius rei ergo, hanc ob rem, hac de re, idest, hac de causa: Corripitur vero O, per Systolen, perinde vt in *Quomodo, Vigilando, Postremo, Cito, Sero*, quæ Ablatiuos

[illegible] *errare Grammaticorum Aduerbia in O, putant omnia esse producta, vt Serio, Crebro.*

(x) Non animaduertit Aluarus, T, litera terminata priscis tam longa fuisse, quam breuia. Ennius:

> *Omnis cura viris, vter esset Induperator.*
> *Insit ò ciues, quæ me fortuna fero sic.*
> *It eques & plausam caua concutit vngula terram.*

Liuius Andron. *Cum socios nostros mandisset impiu' cyclops.* Plaut. Merc. act. 4. sc. 2. *Solet hortator remiges hortarier.* vbi *Solet* Iambus est. quod haud intelligens Iosephus Burdoscaliger *Horitator* reponere conatus est, quo nomine merito vapulat in Scioppij Scaligero Hypobolimæo pag. 200. Terent. Heaut. act. 1. sc. 1. *Putauit me & ætate & beniuolentia.* Virgil.

> *Cum clamore Gyas reuocabat ecce Cloanthum.*
> *Arduus effractoque illisit ora cerebro.*
> *Multa Deos orans onerauit æthera votis.*
> *Dum trepidant it hasta Tago per tempus vtrumque.*

Sic in veteribus libris ista legi testatur Gifanius.

Monuit me tamen Grosippus, reuera nullam consonantem longam esse, cum syllabæ longitudo, sit vocalis productio & quasi geminatio. Ergo, *Et* longum est quasi *Eet*, similiterque *It*, longum est *Iit*. Cum positio longam facit syllabam, id ait propter pronunciandi moram contingere, quam breuibus quoque vocalibus affert consonantiũ numerus. Ergo in *Est*, breue est *E*, non minus quam in *Es*, sed duæ consonantes eam excipientes ipsam syllabam faciunt longam, cum pronunciationem morentur: quod tamen non faciunt, quoties consonãtium aliqua liquescit, vt in hoc Virgilij contingit: *Ponite spes sibi quisque viri.* Nam S, liquida est testibus veteribus Grammaticis.

(xx) Hoc semper breue est, teste Probo. Auctor liberi carminis: *Et vos hoc ipsum quod minamur inuitat.* Plaut. Aul. *Nunc hoc vbi abscondam cogito solum locum.* Veteres tamen dicebant *Hocce* & *Hocc*, quod positione longũ est.

(z) Negat Aluarus vllum sibi succurrere exemplũ productæ vltimæ syllabæ in *Celtiber*. Grosippus hoc mihi ex Catullo subiecit: *Nunc Celtiber in Celtiberia terra*. Idem me monuit in *Or* desinentia ancipiti apud veteres fuisse interuallo. Lucillius: *Languor oppressitque pigror, torporque quietis*. Ita Prudentius: *Quos lana terret discolor in stipite*.

(y) Verum est, quod ait Aluarus, M, non semper elidi solitum, sed fallitur, cum in fine verborum semper corripi solere censet. Lucillij enim versus sunt, quos sic in membranis legi testis est Gifanius:

Præterea vt nostris animum attendere dictis
Huncne inquam Hyacintho hominem cortinipotentis
Delicijs contendi?

id est, huncne parem putari Hyacintho ab Apolline adamato?

(*Aa*) Quanta sit posterior in *Anas*, non docet Aluarus. Petronius corripit hoc Phaleucio: *Aut pictis anas innouata pennis*. Itaque media in *Anatis* erit correpta, & secunda in *Anatinus*, qua voce Plautus Rudent. vtitur: *Vtinam fortuna nunc anatina vterer*. in quo versu Hiatus est, nec A, ante V, eliditur.

(Bb) Regulę huic controuersiam mouerit, quod est apud Ouid. in Ariadnæ epistola:

Quis scit an hæc sæuas insula tigres habet.

Sed ibi Grosippus *Tigras* Accusatiuum Græcum pluralẽ reponendum monuit, sicut *Lyncas* apud Horat. lib. 4. oda 6. *Lyncas & ceruos cohibentis arcu*. Vltimam in *Ganymedes*, natura longam (nam in Græco est η, siue Ee) poeta in Ithyphallicis corripuit: *Cui tradat Ganymedes ipse nectar*. Notaui etiam *Es* à *Sum* produci in Pedonis elegia ad Liuiam: *Nata quod es alte, quod fętibus aucta duobus*.

(Cc) Insignis Aluari alucinatio est, quod putat penultimam in *Stoicida* natura longam esse, quasi esset *Parricida, Homicida*, qui scilicet Stoam cædat, quod prorsus est ridiculum. Rectè Britannicus monet esse fictam vocem instar patronymicorum, vt *Priamida, Aeneada, Romulida*, & ab

& ab Hirtaco *Hirtacides*, ab Aeaco *Aeacides*, quasi Stoæ filij, siue à Stoa profecti, hoc est, à Porticu, in qua Zeno Stoicæ sectæ pater docere fuit solitus. Simili modo Plautus *Rapacidas* finxit, quasi de Furum genere.

(Dd) Nihil opus erat Licentiam poeticam comminisci, cum syllabarum longarum correptio ad figuram Systolen, de qua infra, pertineat. Potestas quidlibet audendi, de qua loquitur Horatius, ad res ipsas, non ad verba, nec earum quantitatem spectat. Verba quippe valent vt nummi, adeoque vel à populo exsibilabantur, qui verbis efferendis vel minimum peccarent.

(Ee) Idem Catullus plerumque Glyconium à Choreo, rarius à Spondeo incipit, nonnumquam & à Iambo:

Dianæ sumus in fide
Puellæ & pueri integri
Vsque dum tremulum mouens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.

Secundus quoque Sapphici pes apud Catullum Spondeus inuenitur, vt:

Seu Sacas, sagittiferosque Parthos
Pauca nunciate meæ puellæ
Otium Catulle tibi molestum est.

Idem Catullus secundum Phaleucij locum Spondeo sæpe occupat, quod tamen est insuauissimum, nec Hendecasyllabi nomen admittit, vt:

Oramus si forte non molestum est,
Puellas omnes amice prendi.
Tanto ten' fastu negas amice
Et multis languoribus peresus.

(Ff) Viri docti *Quisque* legunt, non *Quisquis*, quomodo apud Ausonium: *Pareto legi quisque legem sanxeris.* pro Quicumque.

(Gg) Syllaba natura longa est, quæ duo habet tempora, ac si vocalis esset geminata, vt *Maater, Feelix, Dedeerunt, Modoo, Quomodoo, Postremoo, Cantandoo, Exēplaare, Nee* pro Non, *Putaa, Valee, Proopaago, Obijt dissyllabon, Luuit,*

Pluuerat, quæ pronunciabantur ita, vt V, posterius ad primam syllabam pertineret *Luu—it, Pluu—erat*, Systole igitur est, cum talis syllaba longa corripitur, idest cum vocalis non duobus temporibus, sed vno tantum effertur. quod poetas in multis fecisse deprehendimus, vt in *Dederunt, Modo, Quomodo, Cantando, Exemplar, Nefas* (quod contra est *Neefarius*) *Puta, Vale, Propaago, Luit, Pluerat*. In *Abici* pro *Abijci, Obicit* pro *Obijcit*, similiter quidem Vocalis eliditur, sed syllaba tempus non mutat, cum etiã in *Abijcit, Obijcit*, breuis sit, etsi duo Ii, constituant ibi diphthongum, cum in *Obijt* dissyllabo tantum vna longa sit litera. Lucret.

Ipse Epicurus obIt decurso lumine vitæ. Iuuenal.
Magnus ciuis obIt, & formidatus Othoni. Virgil.
Sceptra Palatini, sedemque petIt Euandri.

Sic in Romano codice legi testis Pierius, nec aliter Paulus Gabianus in Cardinalis Carpensis exemplari Traiani temporibus scripto inuenit, vt Erythræum nec Dijs, nec viribus æquis cum literarũ principe Politiano congressum miserari potius, quam quicquam morari debeamus. Qua porro ratione fiat, vt prima in *Iacit*, & media in *Abijcit*, sit diphthongus, nec tamen producatur, cum vnaquęque vocalis vnum tempus in pronunciando consumat, cur etiam *Ab*, sequente diphthongo producatur, à Grosippo de Orthoepeia pag. 163, expeditum inuenies. *Postremo*, vltima breui extulit Iuuenalis sat. 11. *Et Scauros & Fabricios, postremo Seueros*: cum tamen sit *Postremo loco*. De *Modo* posteriore correpta, res est in vulgus nota. Terent. *Fac apud te sis. PH. modo vt possim.* pro, hoc modo, quo possim, ita vt possim, hac lege promitto me apud me futurũ, si facere id possim. nam *Vt*, nihil est aliud, quam *Quomodo*, seu *Quo pacto modo*, cui vel expresso vel suppresso respondere solet. Plaut. Capt. *Eodem pacto, vt Comici serui solent.* Et Bacchid. *Scin quo pacto me ad te intro abducas. BA. mecum vt sis.* Ergo *Abduc me vt tecum sim*, concisè dictũ est, pro hoc pacto modo me abduc, quo pacto tecum sim, ita me abduc, vt tecum sim. Idem Milit. *Ita faciemus*,

vt quod vidit, non viderit. Idem Bacchid. *Veniat miles ita ne mihi sit mora*, pro modo ne sit, eo modo, quomodo ne sit, siue quomodo non sit. Vbi perspicuum est *Modo* esse positum pro *Eo modo, Ita* vel *Sic*. Plaut. Asin. *Aetatem velim seruire Libanum vt conueniam modo*, pro hoc modo seu pacto aut lege seruire velim, vt conueniam Libanum. Et quoniam *Modus* etiam Finem significat, eo fit, vt *Modo* pro *Tantum* accipiatur, quasi sit *Hac fine, Hactenus*, id est, non amplius. Sed de his Grosippus in Mineruâ pluribus exsequetur. qui Grammaticæ pag. 96. docuit *Quomodo* binas esse voces. Et tamen Horatius dixit: *Cum victore sequor Mæcenas quomodo tecum*. Sic *Sero* habet O correptam per Systolem, cum sit *Sero tempore diei*, ex eoque producitur. Ouid. 2. Amor. eleg. 11. *Sero respicitur tellus vbi fune soluto.* Et *Cito* ellipticos dicitur pro *Cito negotio, Vero* pro vero negotio, re vera, in re vera, sicut Terent. Hec. *Mulieres falso nobis suspectas in re ipsa inuenimus*, Ita & *Mutuo* valet mutuo negotio, re mutua, in qua per vices negotium aliquod geritur, vt *Amant se mutuo*, hoc est, Catullo interpretante *Mutuis animis amant, amantur*. Ita qui Pila datatim ludunt, mutuo pilam dāt, mutuo accipiunt, idest In vicem seu Per vices, alius alia vice, vt Accipere & Dare sit res mutua, quæ inter Datores & Factores mutuo seu vicibus geritur: ex quo planum fit, quanta eorum sit imperitia, qui *Pecuniam mutuo dare & sumere* dicunt pro *Mutuam*. Vide Grammat. pag. 101. Politissimi Antonij Goueani in Adelphos Terentij verba sūt: *Ablatiuos esse Primo, vero, cito, sedulo, mutuo, vltimisque correptis dici interim, nemo nescit.*

(Hh) Diastole est, cum syllaba breuis producitur, quod fit, quando vocalis velut geminata effertur, vt duo habeat tempora, quod in vocibus macrosyllabis sæpius vsuuenit, eo quod obscurius ex longitudine sit interuallum. Hinc I, in *Canicula, Cuticula* & *Clauicula* producitur, etsi natura breuis sit. Horat. *Hic in reducta valle caniculę*. quod contra Plautus corripit Curcul. act. 5. sc. 1. *Vix foras me abripui atque effugi, apage istanc caniculam*. Qui versus

 est

est Trochaicus tetrameter catalectus, habetque trybrachin ante catalexin. Pers. *assiduo curata cuticula Sole*. Cato in Diris: *Dulci namque tumet nondum viticula Baccho*. Germanicus Cæsar in Aratæis:

Qualis ferrato subigens clauicula dente
Succutit, & foribus reducit vincula claustri.

Vbi in *Re*, est diastole, quod effertur vt *Ree*, adeoque nihil consonantem geminari attinet, etsi id in *Reddo* factum minime ignoro.

Cæterum ex istis Aluari præceptis nequaquam constituere possis, adiectiua nomina in *Inus* exeuntia, I, longa an correpta efferri debeant. Omnes quidem scholæ, etiam illorum, qui soli scire diuinitus, suamque docendi ratione aureo fune de cælo demissam videri postulant, hac personant regula, quæ ab animantibus deriuentur esse producta, ab inanimis autem breuia. Itaque *Onomastici Romani* auctor *Oleum Laurinum* I, correpta pueros efferre docet, quia scilicet Laurus anima careat. Ab eadem igitur ratione discipuli eius I, corripient in *Funginus*, *Collinus*, *Alpinus*, *Marinus*, multisque alijs res inanimas significantibus, producent autem in *Elephantinus*, vt scilicet elephanti corio qua magistri, qua discipuli circumtenti iudicentur. Sed vt Grosippus censet, eiusdem prorsus est, tanti flagitij erroribus tirones imbuere, & barbaros scriptores, à quibus Latinè loqui discant, ijsdem proponere, vt scilicet Onomastici illius emtores paruam caudam *Caudiculam*, quam *Caudulam* malint dicere, eodemque exemplo *Mensiculam*, *Penniculam*, *Barbiculam*, *Linguiculam*, mille alia vberis virgidemiæ minimè indigna. Quod si animum notæ istius doctores possent inducere, ne omnes alios præ se fænum esse oportere crederent, præcipuèque ne aliarũ religiosarum sodalitatũ homines vt indoctiores contemnerent an contererent, discere *Mamotrecto* monente poterant, nomina *Inus* in exitu habentia si Græca sint, esse breuia, latina vicissim longa: Itaq; *Elephantinus*, *Faginus*, *Crystallinus*, *circinus*, *crocinus*, *amaracinus*, habent I, correptam, cum sint Græca o, in u, conuersa; *Laurinus* autem,

Fun-

Funginus, Collinus, Ostrinus, habent I, productam, cum à nominibus Latinis sint deriuata. Ab *Vncus*, quod natura adiectiuum est, in quo *Clauus* vel *Hamus* subauditur, fit *Vncinus*, I, breui, cum sit Græcum, qua voce Vitruuius vtitur lib. 5. cap. 10. Ab aduerbijs latinis deriuatorum alia est ratio, vt *Vespertinus, Clandestinus, Crastinus*, *Serotinus*. nam *Matutinus* esse à nomine *Matuta*, nemini potest esse dubium.

FRANCISCO ET CAROLO LOTERIIS

Romanis Iurisconsultis,

MARIANGELVS A FANO BENEDICTI S. P. D.



IAM septimus hic annus agitur, cum Roma huc reuersi nobiles viri Senator & Antonius Septalij, Lndouici filij admiranda quædam de ingeniorum vestrorum felicitate retulerunt. Vos nimirum nonnisi XI. & XII. annos natos totum ciuile ius iam perdidicisse, & in Sacrorum Canonum studio feliciter versari, Virgilij vero Poemata omnia tamquam vngues digitosque vestros nota habere, in iisque recitandis ne vnam quidem peccare syllabam, quodque admirationem auxit, ne abditissima quidem summi Vatis mysteria uos effugere, ut ea uel ijs, qui nostra ætate in Poetarum primis censentur, explanare possitis. Venit postea in vrbem hanc Grosippus, qui mihi & literas à uobis ad se datas ostendit, & uos quarto & tertio decimo ætatis anno in Romani

Athenæi

Athenæi Academia publicè magna cum omnium Acclamatione plausuque Iuris vtriusque consulti titulo affectos esse, ac nunc Philosophiæ operari, simul tamen virorum optimo, patri vestro in respondendo de Iure causisq; clientium dirigendis subseruire, laboremque minuere, nunciauit. Ista me impellunt, vt inter eos, qui vos amant ac velut Italiæ nostræ ornamenta mirantur, nomen meum profitear, meque mutuo à vobis amari expetam. quod vt minore negotio à vobis obtineam, muneri vobis mitto, quæ nuper Grosippus meo rogatu de ratione dimetiendi versus Comicos, commentatus est. quem quoniam à vobis patris vestri exemplo coli ac magnoperè diligi scio, istam eius lucubratiunculam multo vobis gratissimam fore merito mihi persuadeo. Valete.



PASCASII GROSIPPI

De Versibus Comicis.



Versus Comicorū alij sunt
- *Iambici, quorum pedes sūt*
  - *Iambus* ᴗ -
  - *Spondæus* - -
  - *Tribrachys* ᴗ ᴗ ᴗ
  - *Dactylus* - ᴗ ᴗ
  - *Anapæstus* ᴗ ᴗ -
  - *Proceleusmaticus* ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ
- *Trochaici, quorū pedes sunt*
  - *Trochæus seu choreus* - ᴗ
  - *Spondæus* - -
  - *Tribrachys* ᴗ ᴗ ᴗ
  - *Dactylus* - ᴗ ᴗ
  - *Anapæstus* ᴗ ᴗ -
  - *Proceleusmaticus* ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ
- *Confusi, συγκεχυμένα μέτρα, in quibus Iābus, Trochæus alijq; pedes ponūtur ꝓmiscue.*

Cic. in Oratore: *Comicorum Senarij propter similitudinem sermonis sic sæpe sunt abiecti, vt nōnumquam in his vix numerus & versus intelligi possit.*



IAM-

IAMBICI.

Versus Iãbicus est vel

- *Monometer, duob⁹ cõstãs pedib⁹, vt:* Optime odio es - v v | v - Pessima manc - v v | v - Abite vos v - | v -
- *Dimeter quatuor cõstãs pedib⁹ isque vel*
  - *Acatalect⁹ seu plen⁹, cui nihil deest, vt:* Lucana mutet pascua. v - | v - | - - | v - Verebar quorsũ euaderet v - | - - | - - | v -
  - *Catalecticus, cui in fine deest syllaba, vt:* Quẽ nemo vidit ũquã - - | v - | v - | v
  - *Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abũdat, vt:* Ornare puluinar deorum - - | v - | - - | v - | v
  - *Brachycatalecticus, cui pes in fine deest, vt:* Ita peregre aduenìens v v v | v - | v v -
- *Trimeter seuse nari⁹ sex cõstãs pedibus isque vel*
  - *Acatalectus seu plen⁹, vt:* Poeta cũ primũ animum ad scribendum appulit v - | v - | - v v | - - | - - | v - Beatus ille qui procul negotijs v - | v - | v - | v - | v - | v -
  - *Catalecticus, cui in fine deest syllaba, vt:* Trahuntque siccas machinæ carinas v - | v - | - - | v - | v - | -
  - *Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abũdat.* Vt demõstratæ sunt, hasce ædes esse oportet - - | - - | - - | - - | - - | v - | v *Aliter vocatur Saturnius.* Dabunt malũ Metelli Næuio poetæ v - | v - | v - | - - | v - | v - | -
  - *Brachycatalecticus, cui pes in fine deest.* Opulento homini hoc magis seruit⁹ dura est v v - | v v - | v v - | v - | - - *In* Magis, *S, eliditur.* Nonne idem hoc lucis me mittere potuit - - | - - | - - | - v v | v v -
  - *Sca͡zon seu Claudus, qui in vltima sede pro Iambo habet spondæũ.* Miser Catulle desinas ineptire v - | v - | v - | v - | v - | - - Quapropter edulcare conuenit vitam - - | v - | - - | v - | v - | - -
- Tetrameter. de quo vide infra post Indicem.

Versus Trochaicus est vel

- *Monometer, duob⁹ cōstās pedibus, isq; vel*
  - *Acatalectus seu plen⁹, cui nihil deest, vt:* Vapulabis - v | - v
  - *Catalecticus, cui in fine deest syllaba, vt:* Occidi. - v | -
  - *Hypercatalectic⁹, qui syllaba in fine abūdat, vt* Vapulabitis - v | - v | -
- *Dimeter quatuor cōstās pedibus isque vel*
  - *Acatalectus seu plenus, vt:* Cras amet, q numquam amabit - v | - - | - v | - v
  - *Catalecticus, cui in fine deest syllaba, vt:* Proh Deum atque hominum fidem. - v | - v v | - v | -
  - *Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abundat, vt:* Qui te ad scopulum è tranquillo inferat - - | v v - | - - | - v | -
- *Trimeter seu Senarius, sex cōstās pedibus isque vel*
  - *Acatalectus seu plenus, vt.* Ad fores auscultate atq; asseruate ædes - v | - - | - - | - - | - - | - v
  - *Catalecticus, cui in fine deest syllaba, vt:* Nonne idem hoc lucis me mittere potuit - - | - - | - - | - v | v v v | -
  - *Hypercatalecticus: qui syllaba in fine abūdat, vt:* Qui mihi vbi ad vxores vētū est, tū fiūt senes - v | v v - | - - | - - | - - | - v | -
- *Tetrameter seu Quadratus octo cōstās pedibus, et vel*
  - *Acatalectus seu plenus, vt:* Adeon' hominem esse inuenustum aut infelicem quēquam, vt ego sum? v v - | v v - | - v | - - | - - | - - | - v v | - v
  - *Catalecticus, cui in fine deest syllaba, vt:* Proh Deū atq; hominū fidē, quod si fit, p eo fūdit⁹ - v | - v v | - v | - - | - - | v v - | - v | - Sic Amyclas cū tacerent perdidit silentiū - v | - - | - v | - - | - v | - v | - v | -
  - *Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abundat, vt:* Tu fortasse quid me fiat paruipendis, dum illi consulas - - | - v | - - | - - | - - | - - | - - | - v | -

Admonitio de Dimensione, seu Scansione versuum Comicorum.

I. IN eadem scena modo Iambici, modo Trochaici, & vtrique modo longi, modo breues inueniuntur.

II. Sæpe syllaba prima versus ad finem præcedentis, & vltima ad principium sequentis pertinet.

III. Sæpe Vocales longas vno tempore per Systolen, breues duobus temporibus per Ectasin vel Diastolen extulerunt. *Abi v v. Imo v- Animo v v v Phormio v v v Fuit - v Fieri - v - Reduco - - v*

IV. Sæpe Vocales, vel diuiserunt per Diæresin, vel contraxerunt per Synæresin aut Synalephen. *Iam v v. Qui v - Hospitae - v - - Phaeton - - Nihil - Rei - Huius - Ait - Meos - Fiat - Potius v v Adeon v v Puero v - Proinde - v Duorum - v Ambiens - - Legiones - - - Histriones - - - Aiebas* vel *Aibas - - Hodie v v*

V. Sæpe per Ecthlipsin literas & syllabas extriuerunt, siue literæ consonantes essent, siue vocales, & hæ tam longæ, quam breues, idque vel in medio vocum per syncopen, vel in finibus per Apocopen. Ita Cicero pro *Postmarium, Postmeridianus* efferebat *Posmerium, Posmeridianus*, & alij extrita etiam S, *Pomarium, Pomeridianus*. *Axilla, Vexillum* efferebant *Ala, Velum* fuga literæ vastioris, vt ait Cicero; qui etiã testatur pro Vasis argẽteis dici solitũ *Vasargenteis*, pro Virorũ *Virũ*, pro Testis fractis *Testifractis*, pro Si vultis, *Sultis*, pro Si vis *Sis*, V, extrita, pro Si audes *Saudes* vel *Sodes*, pro Cape si vis, *Capsis*, in quo tamẽ Cicero fallitur. Sed *Facsis* certũ est dici solitum pro Face si vis, & pro Cedite *Cette*, ꝑ Surripere, Surrigere, Porrigere, *Surpere, Surgere, Porgere*, ꝑ Euasisti *Euasti*, pro Vixisset *Vixet*, pro Irritauit *Irritat*, ꝑ Decreuerat, *Decrerat*, pro Scire licet *Scilicet*, ꝑ Ire licet *Ilicet*, pro Calidior, *Caldior*, pro Valide *Valde*, pro Populo *Poplo*, sicut *Poplicus* & inde *Publicus*, pro Admisisse *Admisse*, pro Lamina *Lamna*, pro Eueniat

Euenat,

Euenat, pro Applicat *Aplicat* prima breui, quia A in Ad natura breuis est, quomodo etiam *Inuidus, Conuenit* primam correptam habent propter elisionem literæ *N*, quę elisio aperta est in *Coeo* & in *Copis*, quasi Coopis, vnde Copia, sicut Inopis, inops, inopia. pro Diues *Dis*, pro Diuitiæ *Ditia*, pro Vides ne *Viden*, Vultis ne *Vultin*, Ais ne *Ain*, pro Tamen, *Tame* & *Tam* teste Festo, pro Obmitto *Omitto*, extrito M, quod ex B, factum fuerat, pro Iuuit *Iuit* siue *Iu-it*, extrita V. Ista omnia satis veterum auctorum testimonio certa sunt, adeoq; nemini iam durum aut insolens videri debet homines doctissimos in dimetiendis versibus Comicis nullam eorum, quæ Grammatici præcipiũt, rationem ducere, qualia sunt *Audiui* - - nempe V, elisa & duobus I, coalescentibus, *Reicio v v v v* & *Reicio - v v Senex* - quasi Snex, & *Senectus* - - E, elisa sicut in *Fenstra* pro Fenestra, & in *Liberius - v v Argumentum* - - *v* V, extrita *Fateor v v Confiteor* - *v v* elisa E, *Audiuere* - - *v* quasi Audiere vel Aud-iere *Viden tu v v* - elisa N, sicut etiam in isto: *Hera in crimen v v - v* & *Tamen vix v v* - quasi esset Tame vix. *Ne hoc quidem tacebit - v v* | *v - v* extrita M, sicut etiam in *Omnes v* - *Nẽpe v v Enimuero v v* - - *Nam quid ego - v v* D, elisa, sicut & ibi: *Quod ego te v v* - quasi esset Qu-ego te. Ita *Sed quid hoc* - - quasi esset Sed quoc. Et *Sed eccum* - - pro Seccum *Aedepol - v* quasi esset Aepol sicut *Aecastor Quidem v* quasi esset prius Quiem post Quem. Ita B, & vocalis exteritur in *Nobis* - quasi esset Nois & Nis, *Tibi, sibi v*. quasi Tij sij & postea Ti, Si. Et *Abi* - quasi Ai. L, sæpe eliditur in *Ille*, quasi esset Ile, priore correpta, quomodo veteres *Oli* pro Illi dicebant. Ita eliditur in *Simul cum v v* -. Idipsum literæ R, & S, siue consonans, siue vocalis sequatur, vsuuenit. *Miser quod v v - Par referre v v - v Soror dicta v v - v. Est v Iste v v Ostendo v - v Esse v v Nimisquam v v - Tu abis ab illa v v* - - quasi esset Tababilla. Sic *Melius est v* - quasi Melust, *Commoditates in hac re - v* | *- v* | - - elisa prius S, postea E. Eliditur etiam P, in *Voluptas* vna cum V, cum sit à *Volupis*, idest, iucundus quasi Volupitas. Sic in *Ineptus*

v v v, cum *Aptus* ſit factũ ex Apitus ab *Apere* verbo priſco, quod ſignificat nectere, iungere, vnde *Apex*. Etiã T, elidi ſolet, vt *Dabit nemo v v - v Tacet cur v v - Venit nũc v v -* In *Nemini ego - v v* fit ecthlipſis duplex quaſi eſſet Nemnego. ſic *Idem mihi - v v* quaſi eſſet Iem mihi.

VI. Sæpe litteras interpoſuerunt, vt vocaliũ Concurſũ ſiue Hiatum effugerent, vt *Mederga* pro Me erga, *Antideo* pro Anteeo, *Antidhac* pro Antehac. Etiã *Calim* pro Clã. teſte Feſto dicebant. In Plauto eſt *Perdeam* pro Pereã.

VII. Sępe hiatũ vocaliũ admiſerunt, vt: *Quo modo hinc abeã neſcio - v | - - | v v - | - v | -* vbi poſtrema vocalis in *Modo* nõ eliditur. Sic *Abi hinc in malã crucẽ*, nõ eliditur I, in *Abi*. *Hecyra eſt huic nomen fabulæ. hæc cũ data eſt*. non exteritur Ae, in Fabulæ. *Ille opere foris faciundo laſſus noctu aduenit*. Nec E, in *Ille*, nec V, in *Noctu* eliditur, vt ſit Trochaicus tetrameter catalecticus.

VIII. Sæpe M, non exteritur ſequẽte vocali, & modo producitur, modo corripitur, vt: *Officium hoc viri nequaquam eſt boni. - v v | - - | v - | - - | v - | v -*

IX. Interiectiones *Heu, O, Papæ, Au, St*, & ſimiles animi motũ exprimentes ſæpe Actoris ſunt, non Poetæ, adeoq; ad verſum non pertinent, vt monet Victor. lib. 2. de metris. Illuſtre rei huius exẽplũ eſt in Plauti Moſtel. a. 3. ſ. 2

Ibo intro igitur. TR. mane ſis, videam ne canis. TH. agedum vide.

TR. *Eſt. TH. vbi canis eſt? TR. abi dierecta, abin hinc in malam crucem.*

At etiam reſtas? abi iſtinc. SI. nihil pericli eſt age.

Aldi editio partim, & alij Codices habent: *Abi dierecta eſt*. Et mox: *At etiam reſtas? Eſt? abi iſtinc*. Sed nihil eſt dubij, quin pro *Eſt* vbiq; legendũ ſit *St*. & *Abi* pro *Vbi*. Hoc modo:

St, abi canis, ſt abi dierecta, ſt abin hinc in malam crucẽ?
At etiam reſtas? St abi iſtinc. SI. nihil periculi eſt age.

Sunt verſus Trochaici tetrametri catalectici, ad quos tamen interiectio *St*, præterquã primo loco, non pertinet.



INDEX

A. significat Auctarium. G. Grammaticam philosophicam. N. Notas in Paradigmata Declinationum. P. Paradoxa literaria R. Rudimenta.

G

INDEX.

Ca-

INDEX.

INDEX.

Ex.

INDEX.

O, in

INDEX.

Post-

INDEX.

Pro-

INDEX.

Sa-

INDEX.

T

INDEX.

FINIS.

Ista appingenda sunt paginæ 91.

Tetrameter seu Quadratus vel Octonarius, octo cōstans pedibus isq; vel

Acatalectus seu plenus. Nil est triūphō si licet me latere tecto abscedere - - | v - | - - | v - | - v v | v - | - - | v - Istuc tibi ex sententia tua obtigisse gaudeo.

Catalecticus seu Septenarius, vel Hipponacteus, cui in fine deest syllaba, Deprensa nauis in mari vesaniente vento - - | v - | v - | v - | - - | v - | v - | - Satis pol proterue me Syri promissa huc induxerunt. v v - | v - | - - | v - | v - | - - | - - | - *S, in* Satis *eliditur*. Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.

Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abūdat. Atque eius amicam subagitare vel heri in vino quā immodestus - - | v v - | - v v | v - | v v v | - - | - - | v - | - Deprensa nauis in mari vesaniente Apeliota.

Septenarius, septem constans pedibus apud Plautum sæpius, raro apud Terentium inuenitur.

Errata Rudimentorum.

Pag. 63. uerſ. 23. lege: Gram. pag. 145. Pag. 82. u. 2. caſu diſcrepet. Pag. 83. u. 27. eſset Viæ itio. Pag. 108. uerſ. 26. Illo minorem. Pag. 144. u. 35. Quæ geminos caſus. Pag. 209. u. 7. anno 1614.

Mercurij Bilinguis.

Pag. 12. u. 14. Currus bouē. Pag. 14. u. 23. exprobraueris. u. 26. inter ſe non conſonant. Pag. 13. u. 9. *Il tener.*

Auctarij.

Pag. 7. uerſ. 16. ſcio quod es doctus. Pag. 11. u. 8. aut certè. u. 20. habuerit. Pag. 12. u. 2. quin quod. Pag. 17. u. 2. Placentia. Pag. 20. u. 19. ex qua parte u. 23. carnem. Pag. 24. u. 13. valere. pag. 27. u. 3. participia inueniuntur u. 28. loco poſitum. Pag. 30. u. 15. Ne male audiamus. Pag. 32. u. vlt. velim ſubinepte. Pag. 35. u. 13. alius diceret. Pag. 36. u. 23. Nauteam. Pag. 38 u. penult. cētum annorum eſt. Pag. 40. u. 10. appareat. u. 15. paruum inſtar. Pag. 44. u. 3. opponi. u. 36. Iſodynamia. Pag. 45. u. 11. aut folio. Pag. 46. u. 13. cupimus. u. 20. tum aduerb. Pag. 47. u. 11. fæx illa. Pag. 54. u. 20. καθολικόν. Pag. 57. u. 1. ſimilitudinem hic ſignificare. Pag. 61. u. 35. querītet. Pag. 63. u. 28. iſta. Pag. 86. u. ult. illud. Pag. 72. u. penult. Obitus. Pag. 73. u. 16. perſpicuè. Pag. 85. u. 19. Trochæus inuenitur.

In Paradoxis.

Pag. 92. uerſ. 11. lege: *Res mille æris, idem quod mille aſſes, id eſt, decem ſcutati.*